



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXIII. De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

impune contemnitur, l. De pupillo cit. §. 12. Ratio est partim, quæ hoc textu redditur; quod multò meliùs sit, omitti novi operis nuntiationem, quàm impediri operis necessarii urgentem extrusionem: partim; quòd, ubi periculum

in mora est, recedere liceat à Regulis Juris communis, & prohibitiva istius dispositionis remittatur, Gaillius Lib. 1. Observat. 16. n. 8. quocum & Moliña disp. cit. hac de re Interpp. ad hanc Rubr. ff. & C. plura dabunt.



## TITVLVS XXXIII.

### De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.



Icut Exemptorum & aliorum Privilegia violari, sic istis illi, temerè & in Prælatorum præjudicium & contemptum abuti, non debent: & abusu non minùs subditi, quàm diminutione Prælati, delinquant.

#### ARTICVLVS I.

#### De Privilegii Natura & Conditionibus.

#### SUMMARIUM.

1. Privilegii etymon ac definitio.
2. Eius differentia à Lege:
3. A Dispensatione,
4. Et Gratià seu beneficio Principis.
5. Conceditur à Legis conditore istiusque successore,
6. Persona eius juris dictioni subiecta:
7. Imò etiam non subiecta.
8. Scriptura necessaria non est ad eius valorem,
9. Sed ad probationem tantùm:

10. Extra casus quosdam Jure expressos.
11. Privilegium sine causa illicitè
12. Validdè tamen conceditur.
13. Idem promulgationem quandam exigit; ut alios obliget.
14. Imò etiam; ut communitati:
15. Non etiam; ut particulari persone privilegiata profite.

**P**rivilegii nomen derivatum seu compositum est ex gemina voce *Privus* & *Lex*: quarum illa privatatum ac singularem significat. Unde etiam per definitionem esse dicitur Lex privata, speciale aliquod beneficium aut favorem contra vel præter Jus concedens, can. Privilegia 3. dist. 3. c. *In illa* 3. hâc Rubr. & c. *Abbate* 25. de *V. S.* Sensus est, Privilegium esse favorem seu gratiam, quâ à legitimo superiore unì vel pluribus personis particularibus, aut collegio, universitati vel ejus parti, aut loco, vg. Ecclesiæ, Oppido, castro, cum aliqua duratione & stabilitate conceditur facultas aliquid præter vel contra legem

legem seu Jus commune agendi vel omit-  
tendi, Hostiensis in *Summa* n. 2. Panor-  
mit. in *e. Abbate cit.* n. 7. & Suarez *Lib.*  
*8. de LL. cap. 1. n. 3.* Unde

Patet primò, discrimen inter Pri-  
vilegium & Legem; quantumvis enim  
illius instar ipsum quoque à legis condi-  
tore, istiusve successore, & cum aliqua  
duratione sive stabilitate concedatur, in  
aliis tamen ab ea multùm recedit; quia  
privilegium Imprimis personæ aut loci  
vel collegii seu universitatis particularis:  
non, ut lex, communitatis & Reipubli-  
cæ totius bonum immediatè spectat, Vas-  
quez *disp. 115. cap. 1. n. 2. & 3.* Dein-  
de, privilegium nullam obligationem im-  
ponit privilegiato; cùm regulariter ne-  
mo invitus uti cogatur beneficiò, *l. In-  
vito 69. ff. de R. L.* sed potius alios gra-  
vat; ne à concessi favoris usu impediatur  
privilegiatum, Laiman. in *e. 1. de Con-  
stitut. n. 5.* & Palao *Tract. 3. disp. 4. p. 1.*  
*n. 5.* Demum privilegiò conceditur ali-  
quid Jure communi non concessum, *arg.*  
*e. In iis, e. Abbate cit. & h. Si ergo, ibi,*  
*Neque enim aliquibus privilegia concede-  
rentur, nisi præter generalem legem ali-  
quid speciale indulgeretur, post can. fin.*  
*25. q. 1.* Ratio est; quia aliàs privile-  
giò penè inutile foret, Felinus in *e. 1.*  
*de Rescript. n. 4.* Panormit. in *e. 1. cit.*  
*n. 11.* Azor *p. 1. Institut. Lib. 5. cap. 23. q.*  
*3.* & Suarez *cit. cap. 1. n. 4.*

Neque in contrarium facit; quòd  
Universitati Parisiensi procuratorem con-  
stituendi facultas concedatur, *e. Quia*  
*in causis 7. de Procurat.* quod cuius  
communitati communi Jure est permis-  
sum, *e. cit. e. Unico. de Syndico & c. Titus*  
*39. de Test. & ar. est.* & Religiosis in pro-  
priis causis juramentum suppletorium  
præstandi facultas detur *e. Esti Christus*  
*26. V. fin. de Jurejurando,* iplis compe-  
tens Jure non solum humano, sed & Na-

turali. Non, inquam, hoc contra di-  
cta facit, partim; quia *cc. cit.* non tam  
privilegia propriè dicta, quàm Jure com-  
munis ac Naturalis interpretationes seu  
declarationes contineri, cum Glossa *V.*  
*Concedimus. c. Quia cit. & V. Indulgemus,*  
*e. Esti cit.* ita exponente; ut denotent,  
quod *Concessum aut indultum ostendimus,*  
tradit Navarrus *Enchirid. de Oratione*  
*cap. 3. n. 84.* partim verò; quia olim le-  
ge Regiæ Franciis in judicio experiri citra  
Principis rescriptum, & monachis Or-  
dinis S. Benedicti jurare per propriam Re-  
gulam non licebat, ut eruditè advertit  
Gonzalez in *cit. c. Quia num. 2. & c.*  
*Esti 26. n. cit.* Ut proinde tam generali  
illi studiorum Universitati *e. Quia in*  
*causis cit.* quàm monachis Benedictinis  
sive Cisterciensibus *e. Esti Christus cit.*  
aliquid ante inhibitum indultum sit, vel  
saltem declaratum, id indultum jam fuisse  
Jure communi, de quo ambigebatur.

Patet secundò differentia Privilegii  
à Dispensatione; quia imprimis dispen-  
satio semper Jus commune relaxat; &  
ferè sine duratione aut notabili stabilita-  
te, aut ad unum duntaxat actum, vg.  
ad matrimonium contrahendum, ad Or-  
dinem suscipiendum &c. datur; Privi-  
legium autem aliquando præter Jus illud  
ad modum legis, cum aliqua stabilitate,  
& ad plures actus conceditur, Suarez *cit.*  
*Lib. 8. cap. 2. n. 10.* & Laiman. *Lib. 1.*  
*Tract. 4. cap. 23. n. 5.*

Patet tertio differentia ejusdem à  
Gratia seu beneficio Principis; quantum-  
vis enim omne privilegium illius gratia,  
favor & beneficium sit; non tamen omnis  
ejusdem gratia, favor ac beneficium pri-  
vilegium est, ut luculenter patet in ab-  
solutione à censuris & dispensatione in le-  
ge Ecclesiastica, in voto, juramento, Ca-  
nonicis conjugiorum vel Ordinum impe-  
dimentis &c. quæ Ecclesiastici quidem  
Principis

Principis gratiæ, favores ac beneficia : privilegia tamen non sunt, Suarez *cap. cit. n. 11.* & Palao *cit. p. 1. n. 5.*

5. Patet quartò, privilegium propriè sumptum à solo legislatore, ejus successe & si quem habet, superiore concedi; cum, juxta dicta, sit lex privata obligationem imponens: non quidem ipsi privilegiato, sed aliis; ne eum in privilegii usu impediatur: & sæpe contraria Juri communi, à quo eximit privilegium: obligationem autem præcipiendò vel prohibendò imponere, & à Juri communis obligatione aliquem eximere legislatore inferior nequeat, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majorit. & Obed. Sylvester V. Privilegium, q. 2. & cit. Suarez cap. 8. n. 2.* Hæc factis certa.
6. Dubium autem & controversia quædam inter DD. est de conditionibus ad privilegium requisitis. Primò enim aliqui ad id exigunt, ut concedatur subdito. Rationem reddunt; quòd sit quædam lex, quæ non nisi pro subditis fertur: & sæpe eximat ab obligatione legis, non subditum non efficiens. Sed hunc etiam privilegii capacem, *in c. Novit 17. de Judiciis*, non obscurè supponunt Felinus *n. 9.* Panormit. *n. 23.* dum huic indultum minùs revocabile esse ajunt, quàm ad, quòd subdito est concessum: & expressè docent *cit. Suarez cap. 9. n. 4.* & Palao *p. 2. n. 2.* Et de privilegio quidem præter legem concessio res est omnino explorata; cum utique non subdito concedi valeat privilegium invehendi merces in provinciam, vel ex ista exportandi, scribendi in ea militem, venandi &c. De iis autem, quæ contra legem indulgentur, Ratio est; quia extraneus, & per se non subditus, alicujus provinciæ legibus, saltem aliquibus affici potest per accidens, dum in ea mo-

ratur, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 2. n. 114.* ac proinde etiam per accidens privilegiò, contra ejusmodi leges indultò frui; sic enim externi privilegiò eximi possunt à lege, imponente vefligal, exportationem mercium vel certorum armorum usum prohibente, certam formam contractu præscribente. Unde corrui contra privilegium extraneo indultum deductæ rationis pars posterior. Neque vim habet prior; quia privilegium lex est, non respectu ipsius privilegiati: sed respectu aliorum legislatori subditorum, quos obligat, ne illum impediatur privilegii usum, ut *n. 2.* est dictum.

Secundò, ad privilegium Scripturam non obscurè exigit Glossa, dum privilegium accenset iis, quæ in scriptis redigi debent *c. 1. V. In scriptis, de Censibus in 6.* propter *can. Contra morem 6. dist. 100.* verba, *Aur ex scriptis privilegiis ferturi, & Regulam 53. Cancell. Apostol.* quæ dispensatio (multò magis privilegium, quod cum stabilitate aliqua concedi solet) impetranti, tam in, quàm extra judicium, non suffragari asseritur, nisi literis super ea re confectis. His tamen non obstantibus, ad privilegii substantiam & valorem regulariter scripturam exigi, meritò negant Sylvester *V. cit. n. 14.* Suarez *cit. cap. 2. n. 2.* Molina *Tract. 2. de 1. & I. disp. 599. n. 1.* & Laiman. *cit. cap. 23. n. 15.* quòd, privilegia non scripta dari, apertè supponat Jus, *Clement. 2. §. Ac deinde, V. Nos etenim, de Sepult.* ibi, *Universa privilegia verbò aut scriptò concessa.* Cui consonant *can. Institutionis, 25. q. 2. & Extravag. Eist 5. post pr. inter com. de Penit. & Remiss.* Non minùs clara est ratio, partim; quia totus valor privilegii pendet ex voluntate concedentis, quæ tam verbis, quàm scripturâ manifestari potest: partim verò; quia lege nemo adstringitur contra

T t

cur contra voluntatem legislatoris, eum obligare nolentis. Unde eò ipsò; quòd subdito quòeunque modò constet de voluntate ejus, à legis obligatione privilegii eximentis, legis obligatio cessabit, *arg. e. Cum cessante 60. de Appell.*

9. Dixi, *Ad substantiam & Regulariter*. Prius; quia ad privilegii probationem, tam in, quàm extra judicium fori externi, necessaria est scriptura, secundum *can. Contra cit. & Regulam 25. e. jusdem Cancellaria*, quàm Gratia ante literarum expeditionem (in ordine ad probationem) dicitur imperfecta, Palao *Tract. 3. disp. 4. p. 3. §. 1. n. 2.* Posteriorius; quia excipi solent ac debent primò, à sede Apostolica factæ collationes, confirmationes, uniones beneficiorum, quæ irritæ sunt, si istorum possessio apprehendatur ante literas expeditas adeò; ut beneficiatus, tanquam intrusus & violentus possessor, fructus non faciat suos, & privetur ipsis beneficiis obtentis, *Extravag. Injuncta 1. inter com. de Elect. Azor p. 1. Institut. Lib. 5. cap. 2. q. 5. & Haunold. Tract. Proximal. n. 178.* Secundò, privilegii indulta facultas non residendi in beneficiis curatis: quæ non nisi ab Ordinario in scripto data valet, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* Tertio, facultas ingrediendi intra septa Monasteriorum monialium: ad quam superioris licentiâ, in scriptis obtentâ, opus est ex *Decreto* ejusdem Concilii *Sess. 25. cap. 5. de Regular.* Quarto, designatio judicum delegatorum à Papa; hi enim judicium validè inchoare nequeunt ante expeditionem literarum, concedentium jurisdictionem, per *Regul. 24. Cancell. Molina disp. cit. n. 2. & Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 29. n. 10.* cum Ludivico Gomez *Regula De non judicando juxta formam supplicationis q. 6. n. 2.*

Tertio, ad privilegium à nonnullis DD. exigitur *Causa*. Quod, si de licita concessione fermo sit, omnino est indubitatum; cum absque causa facta concessio privilegii contra Jus adverteatur Justitiæ Distributiæ, imò & Legali, exigentibus; ut à communi obligatione sine causa nemo eximatur; si verò id præter Jus sit, sapiat prodigalitem, acceptionem personarum, inducâtque improprietatem inter membra communitatis, *cit. Suarez cap. 21. n. 2. & Palao p. 5. n. 1.*

Si verò fermo sit de concessionis valore, ratio dubitandi oritur à paritate Indulgentiarum, quas absque causa invalidè concedi, doctrina est SS. DD. Angelici in *Supplem. q. 25 art. 2. & Seraphici in 4. disp. 20. p. 2. art. 1. q. 6.* cæterorum TT. ferè omnium calculò approbata. Sed, licet, in privilegio causam non defuisse, in dubio semper præsumatur, id tamen sine causa validè concedi, communi DD. sensu rectè docent *cit. Suarez n. 3. & Palao p. 5. n. 2.* Ratio clara est; cum enim lex eò ipsò, quòd à voluntate legislatoris pendeat, etiam nullâ rationabili causâ exigente tolli valeat respectu omnium, cur non etiam eximi certæ personæ, vel loca, aut specialis favor his tribui privilegii valeat, sicut donatione: quæ etiam prodigè facta tenet?

Neque hac in re paritas est cum Indulgentiis; istas enim Papa concedit non tanquam dominus, sed tanquam dispensator thesauri meritorum Christi: quæ non censetur consentire in istius dispensationem, nisi salubriter, hoc est, ex rationabilibus causis sit facta, secundum *Extravag. Unigenitus 2. inter com. de Penit. & Remiss. Palao cit. disp. 4. p. 5. n. 2. & Gobat Tract. de Indulgent. n. 86.*

Quarto, ad id exigi solet ejus promulgatio sive notitia publica. Quod respectu

respectu aliorum; ne in privilegii usu privilegium impediatur, certum & extra omnem controversiam est; quia istorum respectu habet rationem legis; quæ, ut obliget, esse debet manifesta, *can. Erit autem 2. disp. 4.* præsertim, si privilegio juri tertio quæsito derogetur; sic enim, quando persona, Ecclesia, vel Monasterium eximitur à jurisdictione Ordinarii, communis doctrina est, ad plenum ejus valorem etiam istius notitiam necessariam; quòd Papa non præsumatur, aliquem non monitum aut omnino inscium jure suo velle privare; cum id non bene conveniat cum suavitate gubernationis & tranquillitate Reipublicæ

14. Christianæ, *citr. Suarez cap. 24. n. 6. & Palao p. 3. §. 2. n. 8.* Respectu Privilegiati autem locus est distinctioni; cum, si ille sit aliqua communitas, sufficiat id innuisse, & pro illa tota acceptatum esse à superiore; sic enim privilegio exemptionis, absolvendi à peccatis & censuris reservatis, dispensandi in votis, juramentis &c. toti alicui Religioni: & privilegiis Fori, Canonis, Competentiæ &c. toti Ordini seu statui Ecclesiastico concessis, gaudent singuli Religiosi & Clerici, licet nihil de iis collatis sciant. Sic dispensatione ad matrimonium contrahendum cum consanguinea etiam hæc uti potest, quantumvis petitionem & concessionem ignorarit;
15. *citr. Suarez cap. 25. n. 17. & Sanchez cit. Lib. 8. disp. 26. n. 6.* Si verò privilegiata sit persona aliqua particularis, ei quidem ignoranti & invitæ concedi privilegium potest, defacto tamen vim habere non censetur, nisi, cum ei innouit, acceptetur: & meritò; quia privilegia sunt quædam donationes, quæ exigunt acceptationem: & beneficia, quæ rectæ gubernationis ratio invitis obtrudi, non permittit; ne contempnantur, *citr. Su-*

rez n. 13. Casu tamen, quò privilegium aut dispensatio per procuratorem vel nuntium petita sunt, sufficit acceptatio antecedens per petitionem: nec requiritur; ut concessio innouerit privilegiato, *Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 36. n. 6.*

Neque obstat; quòd ante impetrationis notitiam iis utendò peccet, qui pro ipsis supplicavit; quia hoc non obest valori, ut patet in exemplo ejus, qui per procuratorem petit dispensationem ad matrimonium cum consanguinea vel affine contrahendum; quantumvis enim ante impetrationis notitiam eum tali contrahendò peccet, matrimonium tamen in initum valet, si tempore contractus dispensatio revera fuit impetrata: & ejus, qui à parochio petit licentiam assistendi matrimonio, qui, si ante concessæ notitiam assistat, matrimonium valet, *citr. Sanchez n. 8. & Haunold. n. 179.*

## ARTICULUS II.

### De Privilegiorum Varietate.

#### SUMMARIUM.

16. Dividitur Privilegium I. in Personale & Reale:
17. Prout directè persona vel rei, corporeæ vel incorporeæ, datur.
18. Quale sit, in dubio ex variis desumitur.
19. II. In merè Gratiosum & Remuneratorium:
20. Ex quibus hoc non solum Personale sed & Reale esse potest.
21. III. In Purum & Conventionale.
22. IV. In Commune & Privatum:
23. Ex quibus huic à privato privilegio renuntiari potest:

T c 2

24. Dums

24. *Dummodo renuntiatione tertio non præjudicetur.*

16. **H**Actenus declarati Privilegii variorum sunt partitiones; quarum scitu magis necessarias, & in praxi frequentius occurrentes referre lubet.

Primò itaque aliud Personale est, aliud Reale, ut colligitur ex *c. Mandata 6. verbis, Quas* (vices Apostolicæ sedis) *non loco tribuimus, sed persona, de Presumpt. & l. Privilegia 196. ff. de R. l. quâ Privilegia quædam causâ, alia personæ esse dicuntur.* Personale directè & immediatè conceditur ratione personæ (unius, vel etiam plurium particularium ac certarum) eique inhæret; ut eam sequatur, cum eaque extinguatur, *Reg. In omnibus 8. ff. & Reg. Privilegium 7. in 6.* cujusmodi regulariter esse censetur, privilegium horas Canonicas recitandi unâ horâ post meridiem, celebrandi tempore interdicti, absolventi à reservatis, dispensandi in votis Continentiæ, Religionis &c. Titio *vg. concessum.* Reale verò directè & immediatè rei distinctæ à persona, aut huic ratione illius conceditur, eique affigitur & inhæret. Hujusmodi autem res aliquando corporeæ, ut Ecclesia, Monasterium, castrum, fundus &c. aliquando incorporeæ sunt, ut collegium, universitas, aut alia communitas, dignitas, status Religiosus, Doctoratus aut alius Gradus literarius, vel qualitas separabilis à persona &c. Unde privilegia Realia sunt sacra Asyilia, privilegium Fori, Canonis & Competentiæ, Exemptio à jurisdictione Ordinariorum, Ordini Religioso, Ecclesiæ vel Monasterio; Senatus Consultum Macedonianum & Velleianum filiofamilias aut foemina, Restitutionis integram Minoribus & Ecclesiæ indulta.

17.

Azor *p. 2. Instit. Lib. 5. cap. 22. q. 2. & Suarez Lib. 8. de LL. cap. 3. à n. 3.*

In dubio, an Personale sit vel Reale, spectanda sunt verba, materia & causa, eiusque de concedentis intentione & privilegii qualitate pronuntiandum; si enim verba in rem, officium, conditionem, *vg. Concedimus Præposituræ vel Præposito Ecclesiæ Augustanæ,* propriò nomine non expressò, Reale: si autem in personam dirigantur *vg. Concedimus Titio,* etiam expressâ Præpositi dignitate, *Concedimus Præposito pro tempore existenti,* vel, si aliquid agendi facultas concedatur propter singularem personæ induitriam, prudentiam, experientiam &c. privilegium Personale est censendum. Deinde consideranda est natura & qualitas privilegii, an ordinariè personis solum particularibus, ut Personalia: vel, ut Realia, collegiis aut cum stabilitate & transmissione ad successores, *vg. Concedimus Prelatis talis Ecclesiæ vel Monasterii &c.* solet concedi. Demum, si, his omnibus consideratis, dubium perseveret, discrimen faciendum est inter privilegium merè favorabile, hoc est, neque derogans Juri communi, neque aliis præjudicans; hoc enim tanquam Principis beneficium, quod decet, esse mansurum, *Reg. Decet 16. in 6. pro Reali, l. fm. ff. de Constit. Princip. & Privilegium à Jure illo exorbitans, vel cum tertii præjudicio concessum: quod pro Personali regulariter est habendum arg. Reg. Quæ à Jure 28. in 6.* Ita cum *citr. Suarez cap. 3. n. 19. Sanchez Lib. 8. disp. 1. n. 8. & aliis Palao Tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 1. n. 6. Haunoldus Tract. Proam. n. 160. & Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 1. tract. 4. q. 3. n. 2.*

19. Secundò, privilegium aliud merè Gratiofum, aliud Remuneratorium est. Quorum illud ex mera liberalitate concedentis, non intuitu atque in compensationem

tionem meritorum: istud autem tanquam in præmium & meritorum, v.g. operæ in bello, conversione infidelium aut Hæreticorum &c. navatæ &c. remunerationem seu quandam compensationem conceditur. Istorum privilegiorum prius Personale vel Reale esse posse, satis convenit inter DD.

20. Dissensio autem inter eos est de posteriori sive Remuneratorio; hoc enim ex natura sua semper esse Personale, Petr. Barbosa in l. Quia tale 14. ff. Solutio maritimæ, n. 14. delimitis ex l. 1. ff. de Constit. Princip. cujus §. 2. Ulpianus, Quæ, inquit, Princeps alicui ob merita induxit &c. personam non egrediuntur; quia, ut habet Reg. In omnibus cit. Ubi persona conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque deficit. Cujus ratio ulterior est; quia privilegium Remuneratorium ex natura sua exigit ac supponit merita: quæ, cum in hæredibus & successoribus deficient, privilegium ad hos non transibit; ac proinde erit Personale, non Reale.

Sed ratio hæc levis est; quantumvis enim remuneratio exigat ac præsupponat merita, in quibus fundatur: non tamen præsentia, sive actu existentia requirit; cum parentum, avorum, consanguineorum meritis debitâ remuneratione ex concedentis intentione non infrequenter filios & nepotes, & quandoque totas familias gaudere videamus. Unde privilegium Remuneratorium, licet in dubio præsumatur esse Personale, Reale tamen esse potest ac solet non infrequenter, ut cum cit. Suarez cap. n. 48. observat Haunoldus l. cit. n. 164.

Neque adversantur textus cit. partim; quia, quod ob personæ merita indulgetur, regulariter, non semper Personale est, ut in l. 1. cit. notat Bruneman. n. 8. partim verò; quia aliquando propter

unius personæ merita privilegium conceditur toti familiæ: quod si fiat, personam adequatam, cui concessum est, non egreditur: quantumvis personâ, cujus merita fuerunt, deficiente, illò gaudeant consanguinei & hæredes, ut probè notant Haunoldus l. cit. & Palao cit. p. 2. §. 3. num. 4.

Tertiò, aliud Purum est, aliud Conventionale: quorum illud conceditur nullâ, hoc aliquâ conventionem seu pactione interveniente, ratione cujus privilegium quodammodo emi & compensari censetur: quæ ejus participio displicet Baldo in l. fin. C. Unde liberi, n. 33. quòd privilegium sit gratia: non debitum, quod inducitur conventionem. Sed immeritò; cum de essentia privilegii non sit; ut merè gratiosè: sed; ut eò quid speciale seu contra vel præter commune Jus concedatur, sive id meræ liberalitatis sive remunerationis exercendæ, sive debiti tribuendi & compensandi animò fiat, cit. Suarez cap. 4. n. 9. & Palao §. 3. n. 2.

Quartò, aliud Commune, & aliud Privatum. Privilegium commune est, quod primò & per se respicit bonum communitalis, cui conceditur, licet in istius etiam membra redundet: ut sunt privilegia Fori, Canonis & Competentiæ, concessa toti statui sive Ordini Ecclesiastico: Privatum sive singulare, quod primò & per se respicit bonum personarum particularium: licet mediâ etiam ipsum spectet bonum commune, cujus interest v.g. imbecillos & injuriis obnoxios defendi, indigentibus ac bene merentibus privilegia concedi: cujusmodi privilegium est beneficium restitutionis in integrum, minoribus concessum, Panorm. in c. Si diligenti 12. de Foro compet. n. 7. cit. Suarez cap. 6. n. 1. & Haunoldus n. 168.

Inter hæc privilegia notatu dignum illud discrimen est; quod Communi tanquam

T t 3

quam

quam favori publico à privatis nequeat renuntiari, c. Si diligenti cit. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis; atque idcirco clericum etiam consentientem punire nequeat potestas Secularis, eumque percussus incurrat excommunicationem, can. Si quis suadente, 17. q. 4. Laiman Lib. 1. Tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 5. singulari autem, tanquam favori privato, regulariter renuntiare cuilibet sit permillum, c. Si de terra 6. h. c. Rubr. Panormit. n. 7. Suarez cap. 6. n. 1. & Haunoldus n. 168. Regulariter, inquam; quia, si privilegii etiam privati renuntiatio cederet in præjudicium alterius, sicut v. g. renuntiatio privilegii exemptionis, particulari Ecclesie vel Monasterio concessi, aut S. C. Velleiani, Summo Pontifici aut marito præjudicat, ei renuntiari à privilegiato. v. g. Monasterio aut muliere sine illorum consensu non potest, cit. Suarez n. 4. & Haunoldus n. 168.

### ARTICULUS III.

## De Privilegii Usu & Interpretatione.

### SUMMARIUM.

25. Privilegiò sua persona concessò uti quis non tenetur:
26. Nisi aliquando per accidens.
27. Restriçtò ad certum tempus aut locum in eo duntaxat:
28. Absolutò etiam extra concedentis territorium uti potest:
29. Nisi superioris loci licentiam specialiter exigat,
30. Vel usum ad certum locum restringat causa concessionis.
31. Privilegiò quis uti potest adversus alium similè:

32. Imò etiam contrariò, sed non fortiori privilegiò munitum.
33. Privilegia nec Juri nec homini derogantia latè:
34. Strictè interpretanda sunt, quibus questio terij,
35. Aut communi Juri derogatur:
36. Nisi publica utilitati intuitu, vel Motu proprio concessa,
37. Vel inserta sint Corpori Juri communi.
38. Extensionem non admittunt privilegia odiosa,
39. Sed favorabilia: non tamen ad personas & casus virtualiter non comprehensos.

**C**onvenit inter DD. primò, ad usum privilegii, suæ personæ concessi, per se neminem obligari, arg. c. Si de terra 6. Quod enim ob gratiam alicui, conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, Regula est 61. in 6. Sua, inquam, persona, & Per se. Prius; quia toti alicui communitati vel statui concessò, ut sunt privilegia Fori Canonis &c. singuli, quamdiu ejus membra esse perseverant, nequeunt renuntiare, c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis. Posterius; quia per accidens obligari quis potest ad usum privilegii, sibi specialiter indultis; sic enim habens privilegium audiendi Missam tempore Interdicti Ecclesiastici, eam audire die Festo tenetur: non quidem vi privilegii; quia hoc tantum removet Interdictum: sed vi præcepti Ecclesiastici, omnes non impeditos, ac proinde non interdictos ad eam obligantis, Suarez Lib. 8. de LL. cap. 23. n. 9. & Palao tract. 3. dist. 4. p. 7. n. 3.

Convenit inter eosdem secundò, usum privilegii pro certo loco vel tempore concessi, extra ea illicitum: concessi autem o-

tem omnino absolute & sine ulla limitatione semper & ubique, saltem in territorio concedentis, licitum; cum Regula sit, *Contra eum, qui legem.* (& privilegium; cum hoc lex privata sit) *dicere potuit apertius, interpretationem facientiam, quæ est 55, in 6. cit. Suarez cap. 26, num. 1.*

28. Dubium autem primò & dissenso quædam inter eos est, an ejus usus licitus sit extra territorium. Cujus resolutio faciendâ est auxiliò distinctionis inter actus, ad quos ipsum aut etiam dispensatio datur; Primò enim, si privilegium indultum sit ad actum, Jure speciali prohibitum in solo territorio concedentis, v.g. ab Episcopo ad comestionem carniùm, in sola ipsius diocesi interdictam, ejusmodi actum in alieno territorio licite exerceri, constat; cum enim statutis, sive legibus propriis suæ patriæ extra hæc existens non adstringatur, *c. fin. de Constit. in 6.* extra hanc actum illum exercere potuit etiam privilegio seclusò.

29. Secundò, si concessum sit ad actum, secundum se quidem nulli Juri repugnantem, sed tamen ad valorem vel licitum & honestum usum, Principis, Episcopi, vel parochi loci &c. facultatem exigentem, ut est privilegium concionandi, celebrandi Missas, excipiendi confessiones, populo publicè benedicendi, sine istorum licentia exerceri extra concedentis territorium non potest, hoc ipsò; quòd concedentis jurisdictio extra suum, ac proinde ad hujusmodi territorium non extendatur, *c. fin. cit.*

Tertiò, si datum sit ad actum prohibitum Jure communi, v.g. privilegium ab Episcopo subditorum alicui ex speciali causa, ipsius personam concernente, concessum ad comedendas carnes in Quadragesima, ad recitationem Officii B. Virginis pro horis Canonis, ad legendos li-

bros prohibitos, probabiliùs eò uti licet extra territorium Episcopi concedentis; nisi id ex speciali ratione ad concedentis territorium sit restrictum. Ratio est; quia talis Juris communis obligatio eadem est in territorio proprio Episcopi dispensantis & alieno. Unde ab ea vigore privilegii, etiam à proprio Episcopo concessi, liberatus, eò uti poterit ubique; cum enim Episcopus privilegium, Juri communi derogans, non nisi ex delegatione Apostolica, saltem tacitâ concedat, sicut ab ista, sic etiam ab Episcopo ejusmodi privilegium nactus, eò uti potest ubique, *cit. Palao p. 6. n. 6. Haunold. n. 82. Firrhing ad hanc Rubr. n. 182.* & ante eos laudatus Suarez *cap. 26. n. 15.* suam hanc doctrinam firmans praxi sive usu, hujusmodi privilegia & dispensationes sic interpretante.

Neque cum hoc pugnat; quòd Episcopus jurisdictionem suam extra proprium territorium non valeat exercere, *c. fin. de Constit. in 6.* quia hoc verum duntaxat est de jurisdictione Contentiosa, quæ cum strepitu, figura, & solennitate judicii exercetur. Non de Voluntariâ; cum enim ista sine strepitu & circa personam jurisdictioni subjectam exerceatur, per privilegii huic indulti usum alienum territorium ipsiusque proprii Prælati jurisdictione violari non censetur, per traditâ *à cit. Suarez cap. 23. n. 11. Palao p. 6. n. 4.* & dicta supra *Lib. 2. Tit. 2. à n. 24.* Aliud esset, si privilegium vel dispensatio pro tota diocesi vel uno alteròve loco concessa esset, propter specialem causam vel necessitatem talem locum concernentem; tali enim privilegio vel dispensatione dicecesanus extra suam diocesim vel locum uti non valeret; cum in isto privilegii seu dispensationis, sicut ratio, sic etiam gratia cesset ex mente concedentis, eam ultra quàm suadet ratio, non concedentis

cedentis, ut rectè advertit *cit.* Suarez *n.* 14.

Quartò demum, si privilegium concessum sit ad actus, extra concedentis territorium prohibitos Jure speciali, privilegiò uti per se etiam poterit in territorio alienò; quia peregrini statutis seu legibus particularibus locorum, per quæ transeunt, verius non adstringuntur, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 2. n.* 113. *Per se*, inquam; quia per accidens peregrini, sicut ad scandalum, perturbationem Reipublicæ, aliæque incommoda sæpe ejusmodi locorum leges particulares, juxta ibidem *n.* 114. dicta, sic ad eadem vitanda sæpe abstinere debent ab usu privilegii, contrarii ejusmodi Juri speciali.

31. Dubium secundò est de usu privilegii *vg.* immunitatis à solvendis decimis, vel ne propter debitum civile quis valeat incarcerari contra alium pariter privilegiatum. Non quidem privilegiò simili, ne *vg.* etiam ipse decimas solvat, aut propter tale debitum incarceretur; cum enim hujusmodi privilegia inter se non pugnent, unius usus ab altero non impeditur. Sed contrariò *vg.* exigendi decimas à quocunque parochiano, aut debitorem quemcunque incarcerandi. Contra quem privilegio immunitatis à solvendis decimis aut ab incarceratione locum non esse, suadet Brocardicum illud *Privilegiatus non utitur privilegio suo contra pariter privilegiatum, arg. l. Affiduis 12. §. 1. V. Duobus, C. Qui pot. in pign. hab.* Verùm tali casu spectandum est, cujus privilegium sit speciale; cum enim species deroget generi, *Reg. 34. in 6.* privilegiatus in specie, sicut est, qui à decimis ex prædiis suis solvendis, aut ab incarceratione propter debitum Civile immunitatem est assecutus, præferendus erit; ut privilegiò suo uti valeat adversus eum, qui in genere tantum, ut est, qui de-

32. cimæ percipiendi aut debitores incarcerationi privilegium habet, ut cum Covarruvia *in Reg. Possessor. p. 2. §. 2. n. 4.* docent *cit.* Suarez *cap. 23. n. 5.* & Haunold. *n.* 186. Casu autem, quò æquè generale aut speciale est utrumque, prævalebit fortius, scilicet antiquius, vel, quod concessum est à potestate superiori, secundum eosdem DD. *n.* 7. & 187. sic enim, si unus Ordo Religiosus gaudeat privilegiò, alterius ædificationem prope sua Monasteria intra certas cannas prohibendi: alteri contra ædificatio intra tales cannas permittatur, antiquius, vel à Papa concessum prævalebit ei, quò recentius, aut ab Episcopo est impetratum, Rodriguez *Tom. 1. Regul. q. 9. art. 11.* Unde in relato axiomate subaudiendum est, *Contra privilegiatum privilegio fortiori*, ut est speciale, antiquius, vel concessum à potestate superiori, Haunold. *cit. n.* 187. & Palao *cit. disp. 4. p. 9. n. 2.*

33. Dubium tertio est de privilegii interpretatione. Non quidem, si de concedentis mente ex ipso ejus tenore, fine, materia vel circumstantiis constet; cum enim interpretatio ad concedentis mentem investigandam adhibeatur, ubi hæc explorata, supervacanea omnis interpretatio est. Casu autem, quò ejus mens & intentio anceps, à DD. ferè approbata est distinctio inter privilegia; quantumvis enim ea, quibus præter, sive ultra Jus commune aliquid, in nullius præjudicium cedens, indulgetur, tanquam mera beneficia & favores Principis, amplianda sint, *Reg. Oria 15. in 6.* & interpretationem latissimam admittant, *c. Quia circa 21. hinc Rubr. c. Olim 16. de Verb. signif. §. 1. Beneficium 3. ff. de Constitut. Princip.* strictam tamen exigunt Imprimis privilegia, cedentia in notabile præjudicium tertii, & auferentia vel diminuentia jus ei quæsitum, Panormit. *in c. Certificari 9. de Sepult.*

34.

de Sepult. n. 9. cit. Suarez cap. 27. n. 9. & Palao p. 10. n. 8. Ratio est; quia Papa & alius Princeps, concedendó uni beneficium, alteri jus suum auferre velle, si non exprimat, non præsumitur, arg. c. Licet 12. de Offic. Ordin. c. Ex tuarum 5. de Auth. & Usu Pall. & l. Nec avus 4. C. de Emancipat. lib.

35. Deinde, strictam interpretationem regulariter exposcunt privilegia derogantia Juri communi, uti & consuetudini secundum & præter istud introducæ, Panormit. in c. Quia circa cit. n. 3. Sylvester V. Privilegium q. 3. cit. Suarez cap. 27. n. 5. & Palao p. 10. n. 2. qui id colligunt ex c. Porro 7. c. Sanè 9. hæc Rubr. & c. Cùm dilectus 8. de Consuet. Ratio perspicua est; quia Jus commune (& ejusmodi consuetudo) eò ipsò; quod ob bonum & utilitatem publicam introductum sit, can. Erit autem lex 2. dist. 4. favofabile: & contra odiosum ac restringendum est, quod ei derogat & adversatur, arg. Reg. Odia cit. Unde privilegium, tribuens jus percipiendi decimas ex prædiis parochiæ alienæ strictè interpretandum est, c. Statuto 2. de Decimis in 6. Zæsius ad Rubr. de Decimis n. 56.

36. Sed hoc, ut insinuavi, Regulare, non Perpetuum est; quia, Juri communis derogatione non obstante, latè interpretanda sunt Imprimis pleraque privilegia Ecclesiæ, Clericalis & Religiosi Status; eùm Summa ratio sit, quæ facit pro Religione, ut dicitur, l. Sunt persona 43. ff. de Relig. & sumpt. fun. Suarez cap. 27. n. 7. Palao p. 10. n. 5. & Haunold. n. 201. Dein, quæ motu proprio & ex certa scientia conceduntur, arg. c. Si motu 23. de Prab. & dignit. in 6. quia sic concessa sunt singularis favor & beneficium Principis; ac proinde ob ejus honorem accipiunt latam interpretationem, cit. Suarez n. 8. & Sanchez Lib. 8. de Matrim.

disp. 1. n. 5. Demum, inserta Corpori Juri communis: ut sunt multa privilegia, in perpetuum concessa Ecclesiis, Clericis ac Religiosis; talia enim propriè contra Jus commune esse non censentur; cùm, eò ipsò, quòd istius Corpore claudantur, pars Juri communis, & istius instar favorabilia sint, Suarez n. cit.

37. Dubium quartò est, an privilegium patiatur extensionem. Negativam Regulæ instar aliqui tradunt, & suadet tritum, Privilegium tantum valet, quantum sonat. Quod, sicut de odio omnino certum est, sic de favorabili privilegio dubium reddit decisio Bonifacii VIII. privilegium celebrandi, audiendi Missam tempore Interdicti Ecclesiastici alicui concessum, ad ejus famulos & domesticos extendi, pronuntiantis, c. Liceat 11. §. Cùm conceditur in 6. Quò modò privilegium Nobilitatis à patre & marito ad filios & uxorem porrigi, liquet ex l. Famina 8. ff. de Senatoribus & l. 1. C. de Dignit. Panormit. in c. Licet 4. de Censibus, n. 3. & Sylvester V. Privilegium, n. 5. Sed ll. cit. Regula de privilegio etiam favorabili, quantumvis latè interpretationis patiens sit, ad personas tamen & casus, ejus tenore saltem virtualiter non comprehensos, non extendi, firmatur potius quàm convellatur; cùm, ut nobilitatis & alia quædam privilegia à patre vel marito ad filios aut uxorem extenderentur, opus fuerit speciali Juri dispositione. Unde, extra casus, Jure specialiter expressos, ejusmodi extensioni locum non esse, legitimè infertur, per tradita ab Everardo Legal. arg. Loco à Speciali n. 1. Baldo in c. Inter ceteras 4. de Rescript. n. 9. Bercio in c. 1. de Probat. n. 20. & Suarez cap. 28. n. 11.

Neque aliud persuadet c. Licet cit. decisio; quia, ut præmittam; quòd etiam eà specialis dispositio haberi videatur, pri-

U u

tur, pri-

cur, privilegio celebrandi & audiendi Missam virtualiter concessa censentur ea, quæ consueta & commoda Missæ celebratio & auditio requirit; ac proinde, ut Sacerdoti ad aram minister & domino famuli seu consueta familia assistat. Ob quam etiam causam privilegio horas Canonicas paulo post meridiem recitandi alicui concessio socius, cum eo horas recitans, uti potest; quod tales personæ privilegio virtualiter censeantur comprehensæ. Simili modo privilegia, indulta Religiosis, filiis, fratribus, etiam monialibus, filiabus & sororibus communia sunt, si personæ illæ eorum sint capaces, easve excludi non appareat aliunde, Rodriguez Tom. 1. Regul. q. 13. art. 22. Suarez cit. Lib. 8. cap. 10. n. 7. Bonacina disp. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2. & Palao p. 12. à n. 1.

## ARTICULUS IV.

## De Privilegiorum Ammissione.

## SUMMARIUM.

40. Privilegium amittitur I. Re, cui inhaeret, pereunte:
41. Quæ translata etiam ipsum transfertur.
42. II. Lapsu temporis concessionis.
43. III. Cessante causâ finali:
44. Quò modo privilegium merè gratiosum,
45. Sed derogans, Stratum successuum habens, amittitur:
46. Si causa illa, non merè negativè, sed contrariè cesset.
47. IV. Liberè & acceptatâ renuntiatione privilegiati.
48. V. Non usu, cum utendû esset facultas:
49. Quò privilegia, alios gravantia, diversimodè tolluntur.

50. VI. Usu contrariò:
51. Quò privilegia negativæ, alios gravantia,
52. Etiam, quæ stratum successuum habent,
53. Per viam Prescriptionis quadraginta, &
54. Per modum tacite renuntiationis triginta annorum spatio amittuntur.
55. VII. Privilegij Abusu:
56. Quò id aliquando per sententiam iudicis,
57. Aliquando ipsò Jure amittitur.
58. VIII. Revocatione:
59. Quæ privilegia gratiosa subditis concessa:
60. Non conventionalia & absolutè donata amittuntur.
61. Revocantur privilegia à concedente istiusque successore.

**P**rivilegia legitime obtenta amitti aut interire diversimodè solent. Primò quidem pereunte, vel destructo ipsorum subiecto, cui inhaerent, Reg. In omnibus 68. ff. & Reg. Privilegium 7. in 6. sic enim Personale morte personæ: Reale verò re v.g. Religione, collegio, dignitate, officio, cui concessum est, extinctis, vel omnino superpressis perit, arg. Reg. Accessorium 42. in 6. Glossa in Reg. Privilegium cit. V. Personale & Innocentius in c. Cum ex iuncto 2. de N. vi oper. nunt. Ea tamen, quæ ædificiis v.g. civitati, castro, Ecclesiæ indulta sunt ratione sitûs seu loci; illis incendiò, vastatione jam destructis, inhaerent fundo, quamdiu spes est reedificationis, l. Cum loca 36. ff. de Relig. & sumpt. fun. & can. Pastoralis 7. q. 1. Si verò tali rei concessa sint non ratione sitûs, sed alterius tituli transferibilis v.g. Ecclesiæ ratione Parochiæ, Confraternitatis, Reli-

41. Reliquiarum alicujus Sancti, cujus sacra lippiana illic deposita sunt, istis aliò translatis, etiam ipsa transferuntur. Simili modò, si Ecclesia in uno loco ideo solum destruat, ut in alio commodiori reedificetur, retinet privilegia, quæ habuit ante destructionem; cum ita reedificata eadem censetur cum destructa, & comparetur personæ, quæ sibi concessa privilegia secum defert. *Glosa in Reg. Privilegium cit. Felinus in c. Cum dilecti 22. de Rescript. n. 25. Azor p. 1. Instit. lib. 5. cap. 2. l. 9. 11. & Suarez Lib. 6. de LL. cap. 5. an. 5.*

42. Secundo, Lapsum temporis determinati v. g. decennii, aut vitæ concedentis, si pro ista tantum fuit concessum, arg. c. De causis 4. de Offic. deleg. & l. Quotiens 2. C. de Precib. Imp. offer. cum enim privilegium vim suam omnem accipiat à concedentis voluntate, ultra tempus ab eo determinatum extendi non potest. Eadem est ratio privilegii, concessi pro tempore existentis ac durantis alicujus conditionis, v. g. pro vita Clericali vel Religiosa; quia tale privilegium virtute continet temporis sive durationis terminum: non quidem fixum, sed adjectum conditioni, ad cuius existentiam extenditur & conservatur. *cit. Suarez cap. 29. n. 4. & 5. Laiman Lib. 1. Tract. 4. cap. 23. n. 17. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 167.*

43. Tertiò, Cessante causâ, c. Cum cessante 60. de Appell. non merè impulsivâ, sed finali, sive eâ, quæ principaliter movit ad privilegii concessionem, & hanc reddidit justam honestamque; ut sine eatalis non esset; sic enim privilegium non residendi in Ecclesia clerico indultum ad studiorum prosecutionem, istâ tanquam causâ finali cessante, etiam ipsum cessat, c. Tua 12. de Cleric. non resid. Panormit. in c. Suggestum 9. de Decimis n. 5. Felinus in c. Qua in Ecclesiis 7. de

*Constitut. n. 29. Guttierrez Lib. 2. Q. Canon. cap. 15. n. 30. Petr. Barbola in l. 1. ff. Solutio matr. p. 1. an. 83. cit. Suarez cap. 30. n. 1. & alii, id defuentes ex cc. cit. can. Generaliter, 16. q. 1. c. Abbate 25. in fine, de V. S. & l. Ex factis 43. pr. ff. de Vulg. & pupill. substit. Ratio est, quia cessat intentio concedentis; quæ, quod justum & honestum non est, nec concedere, nec concessum durare voluisse, præsumitur.*

Sed, licet hoc verum, tam generale tamen non est, ut locus non sit distinctioni inter privilegia; vel enim hæc Juri derogant vel non? Si posterius hoc, & meræ gratiæ ac beneficiæ concedentis, & ab isto simpliciter & absolute concessa sint, eò ipso; quòd juxta dicta n. 2. ad valorem non exigant causam, etiam causâ, quæ ad eorum concessionem principaliter movit, cessante, non cessant; cum beneficium principis deceat esse mansurum, *Regula est 16. in 6. Si prius, & privilegium Juri, sive communi, sive alicujus privati, derogat, multum interest, an unico actu consummetur, vel tractum habeat successivum, sive ad successivè aliquid agendum vel omittendum sit datum; si enim unico actu consummetur, eò consummatò, non cessat, etiam quoad effectum; quia factum legitime non retractatur, etiam si deveniat ad statum, in quo non posset inchoari, ut habet *Regula 37. in 6.* quia hujusmodi privilegium habet rationem dispensationis: quæ, postquam effectum semel habuit consummatum, quoad eum non retractatur, ut patet in voto & impedimento nuptiali, quæ per dispensationem semel sublata non redeunt, etiam si causa mutetur & cesset, *Menoch. Lib. 4. Præsumpt. 189. n. 195. cit. Guttierrez n. 22. & Suarez n. 3. Si verò privilegium habeat tractum successivum, quoad futuros actus amittitur, si**

ejus causa finalis cesset contrariè, hoc est, ut ejus usus propter materiæ vel circumstantiarum mutationem evadat injustus & iniquus, eoque grave damnum aliis inferatur; sic enim privilegium non residendi cessat casu, quò id cederet in detrimentum Ecclesiæ, sic patientis defectum ministrorum: & privilegium percipiendi omnes decimas ex frumento, intra alicujus parochiæ fines provenientes, relictis Ecclesiæ decimis ex vino, cessaret, si, omnibus vinetis cum tempore in agros conversis, nullæ decimæ ex vino provenirent; itaque Ecclesia parochialis necessariis proventibus destitueretur, *arg. c. Suggestum cit. c. Quanto 16. de Censibus & c. Quod per novale 21. in fine, de V. S. & l. Ex facto cit. DD. supra laudati & Gonzalez in c. Suggestum cit. n. 4.*

Dixi, *Contrariè*; quia si causa finalis, privilegii concessi tempore existens, cessaret solum negativè; quòd ejus concedendi ratio quidem jam non amplius subsistat, ejus tamen usus iniquus aut inhonestus non esset, privilegium non cessaret; sic enim privilegium percipiendi decimas Monasterio concessum absolutè & simpliciter propter ejus inopiam, non amittitur, sed perseverat, etiam si illud cum tempore locupletatum redditus habeat abundantes: & ex dispensatione obtinens plura beneficia, quòd tempore collationis ad congruam sustentationem singula non suffecerint, ea licet retinet etiam, cum crescentibus redditibus singula congruam sustentationem præbent; quia, licet hujusmodi privilegii vel dispensationis concedendæ ratio cessarit, eorum tamen usus non evadit iniquus, aut aliàs perniciosus, *citt. Suarez n. 7. Pirhing n. 169. & Engel ad banc Rubr. n. 21.*

47. Quartò, privilegium amittitur liberà Renuntiatione ipsius privilegiati, sive ab isto voluntariè factâ abdicatione juris

ac potestatis aliquid agendi vel omitteendi, vi privilegii competentis, juxta dicta n. 23. postquam renuntiatio acceptata est ab eo, cujus juri privilegium derogat, ac proinde in ejus utilitatem renuntiatio cedit: vel, si privilegium nemini derogetur, ab eo, qui privilegium concessit, ut colligitur ex *c. Licet 7. de Procurat. in 6.* ex cujus decisione mandatum procuratorum datum absenti, qui id recusavit, cessare non censetur: nisi, id ab isto non acceptatum, mandanti innotescat; ut, qui id priùs recusavit, mutare voluntatem, eoque ad huc uti possit. Ratio est; quia solâ privilegiati renuntiatione non mutatur voluntas concedentis privilegium: quamdiu autè ista immutata perseverat, perseverat privilegium, quòd nemini derogatur; cum talis privilegii vis & efficacia pendeat ab ejus voluntate. Unde privilegiatus, mutatâ voluntate, ad privilegii usum redire, eumque continuare non prohibetur, si renuntiatio acceptata non sit à concedente, vel saltem ab eo, in cujus utilitatem renuntiatio v.g. juris exigendi ab eo decimas, cedit; quòd jus hoc per renuntiationem ei sit remissum, Glossa in *c. Cum venissent 3. V. Oblit. De eo, qui mitt. in poss. ubi Baldus n. 8. cit. Suarez cap. 33. n. 9. & Pontius Lib. 8. de Matr. cap. 13. n. 17.*

Quintò, Non-usu, *arg. l. 1. ff. de Nundinis*: quòd tamen, ut privilegia affirmativa, sive ad aliquid agendum, v.g. ad exigendum vestigal, suffragium ferendum in electione, creandi Magistros seu Doctores &c. concessa amittantur, necessarium est; ut sit voluntarius ac liber; ac proinde, ut privilegiatus eò usus non sit, cum utendi occasio fuit; cum, si quis privilegio etiam longissimò tempore non usus ideo solum fuit; quia eò utendi se non obtulit occasio, solò non-usu non tollatur, ut colligitur ex *l. Unus*

§4. §. 1. *§. l. Urbanorum 2. ff. de Servit. prad. Rustic.* ubi aqua ex fonte in fundum decedens servitus non interit; quod in hunc aqua ducta non fit; quia ex fonte, qui exaruerat, non potuit duci. Simili modò Doctores & Magistros creandi Gymnasio, & malefactores capitali supplicio afficiendi civitati competentia privilegia ex eo præcisè non amittuntur; quòd longissimò tempore nemo Gradum petierit, aut, in quem gladii potestas exerceretur, malefactor se non obtulerit, Glossa in *c. Abbate cit. V. Donec, ubi Panormit. n. 18. cit. Azor Lib. 5. cap. 22. q. 8. Laitman. cap. 23. n. 21. & Gaill. Lib. 1. Observat. 60. n. 2.*

49. Dubium nunc est, an, vel quanam privilegia non-usu amittantur. Sunt enim ea duplicis generis; cum quaedam in aliorum gravamen redundent: non etiam alia. Ex quibus ea, quæ in aliorum gravamen & incommodum non redundant, & in mera facultate agendi consistunt, ut comedendi carnes in Quadragesima, pro horis Canonicis recitandi Officium B. Virginis, ante consuetam horam manè vel post meridiem celebrandi, audiendi confessiones, absolvendi à re servatis, dispensandi in votis &c. solò non-usu, quantocumque tempore continuatò, non amitti, cum Glossa in *c. de privilegiis 24. V. Semel in anno verisimilius* censent Rodriquez *Tom. 2. Regul. q. 49. art. 3.* & Suarez *cap. 34. n. 17.* cum; quia hujusmodi privilegia solò non-usu amitti, ullò jure non est expressum; cum *l. 1. cit.* & si qui ejusmodi textus sunt, de privilegiis in aliorum gravamen cedentibus loquantur: tum verò; quòd cum iis privilegiatus liberà voluntate utatur vel abstineat, non appareat, quomodo iis valeat præscribi, nisi ad alicujus exactionem vel prohibitionem exercentur vel omittantur. Ea verò, quorum usus

onus vel gravamen aliis affert, non usu ferè tolluntur, quando iis gravati adversus privilegiatum, ne illò utatur, præscribunt: quod aliquando decennio aut vicennio, ut inter privatos presentes vel absentes: aliquando, ut contra Ecclesias Monasteria &c. quadraginta annorum aut etiam longioris temporis spatio contingit: exceptà facultate celebrandi nundinas, quam decem annorum non usu tolli, patet ex *l. 1. cit. cit. Menoch. Lib. 6. præsumpt. 41. in fine, Suarez n. 20. & Pontius n. 23.*

Sextò, Ufu vel actu contrariò: quòd privilegia negativa, sive aliquid omittendi facultatem concedentia, sed non generaliter & indistinctè omnia, amittuntur; quia imprimis, sicut affirmativa, sic etiam negativa absoluta sive solum privilegiatum respicientia & nemini gravamen afferentia, ut non recitandi horas Canonicas, non jejunandi, alicui ob habitualem infirmitatem, vacandi à Lectionibus, Professori ob senium &c. concessa solò usu contrariò non amitti, rectè observant *cit. Suarez cap. 35. n. 22. & Pontius n. 25.* Deinde, privilegia negativa, respicientia & gravantia alios, ut, non solvendi decimas, vectigalia, tributa &c. usu quidem contrariò, sed non eodem modò omnia amittuntur; quia, si dispensationum instar ad unum actum omittendum data sunt, istò non omisso, sed positò, illis concessam facultatem extinguere, patet; cum enim solam unius actus omissionem spectent, actu, qui omitti poterat, positò, inutilia evadunt, *cit. Suarez n. 17. & Pontius n. 9.* Si verò tractum habeant successivum, sive ad plures omissiones, aliis onerosas, data sint, per actus contrarios in totum, sive quoad actus illos omittendi facultatem, non tolluntur: donec ab iis, in quorum gravamen cedunt, contra ea legitime sit præscriptum, ut colligitur

ligitur ex l. *Honestè* 2. ff. de Privileg. *Veteran. P. Voluntaria* 12. C. de Excusat. int. *Et l. Qui publici* 2. C. de His, qui sponte publ. mun. quibus privilegia immunitatis ab oneribus civitatis vel tutelis non labefactari asseruntur: etiam si quis spontaneâ voluntate suâ honorem vel munus publicum aut tutelam suscipiat. Ratio est; quod ejusmodi privilegium obtinens, licet unum vel etiam plures actus contrarios sponte exercendo ipsi quoad hos renuntiet, non tamen eò ipsò etiam renuntiat quoad alios actus pro tempore futuro. Unde, ut quoad hos etiam sibi præjudicet, necessarium est; ut quoad eos etiam privilegio cedendi voluntatem signis aliquibus manifestet, vel à gravatis adversus eum legitime, ac proinde contra privatos decem aut viginti, contra Ecclesias, Monasteria &c. 40. annorum spatium sit præscriptum, Panorm. in c. *Cum accessissent* 8. de Constitut. n. 8. Felinus in c. *cit.* n. 9. *cit.* Suarez n. 10. Pontius n. 27. & Laiman. in c. *cit.* n. 11.

55. Cum hac doctrina, quatenus ad hujusmodi privilegii præscriptionem adversus Ecclesias & Monasteria quadragenarii temporis lapsus exigit secundum Regulam c. *De quarta* 3. c. *Ad aures* 6. *Et c. Illud* 8. de Præscript. aperte pugnare & à *cc. cit.* Regula divertere videtur decisio c. *Si de terra* 6. quâ privilegium non solvendi decimas, Cisterciensium Ordini competens. c. *Ex parte* 10. *Et c. Nuper* 34. de Decimis, earum solutione, ab istius Ordinis Monasterio triginta annis continuatâ, amissum pronuntiat: cui tamen decisioni adversatur, c. *Accedentibus* 15. ubi adversus tale privilegium militantem præscriptionem pro se alleganti quadragenarii temporis probandi onus imponitur. Quas decisiones ab antinomia vindicandi studium nonnullorum Interpp. ac DD. ingenia sic fatigavit, ut concilia-

tionis spe omnino abjectâ, cum Glossa in c. *Accedentibus* cit. v. 40. annos & Panormit. ibi n. 4. priorem ex Jure antiquo triginta annorum præscriptioni adversus Ecclesias deferentem, can. 1. can. *Placuit* 8 v. 6. q. 3. *Et c. Sanctorum* 3. de Præscript. à posteriori asserent correctam. Verùm, quia utraque decisio ejusdem Alexandri III. & ante hunc summum Pontificem tricennali præscriptioni, quæ contra Ecclesias vim olim obtinebat, quadragenaria à Gregorio I. can. *Volumus* 2. *Et can. fin.* 16. q. 4. jam suffecta, & ab Imp. Justiniano etiam constituta fuit *Aurb. Quas actiones*, C. de SS. *Eccles. & Novell.* 131. cap. 6. à Glossâ & Panormitani intellectu merito abhorrent alii Interpp. ac DD. plerique, dictarum decisionum conciliationibus aliis excogitatis.

Mihi in re admodum ancipiti præ aliis placet, quâ *cc. cit.* de diversis modis amittendi privilegium agi asseritur: priori quidem per viam tacitæ renuntiationis, quæ ex decimarum solutione à privilegiatis, juris sui ignorantiam non habentibus triginta (imò paucioribus & secundum multos decem duntaxat) annis sine ulla interruptione & protestatione continuata præsumitur; cum tam supinus non facile quisquam sit; ut solutionem, à qua se privilegio immunitatem esse novit, tot annis sine ulla protestatione præstet. Posterior verò de ejus amissione per viam præscriptionis: quâ, ut privilegio, Ecclesie vel Monasterio competenti, prævaleat, quadragenaria est opus, secundum Regulam c. *De quarta* *Et c. cit.* Suarez *cit.* cap. 34. n. 21. Barbosa de Offic. *Epis.* alleg. 26. n. 18. & Gonzalez in c. *Si de terra* *cit.* n. 7.

Sed hæc quoque *cc. cit.* decisio & conciliatio geminam patitur difficultatem. Una est; quod in casu c. *Si de terra* *cit.* immunitas à solvendis decimis non  
foli Mo-

foli Monasterio illi, sed toti Cisterciensium Ordini fuerit concessum, *c. Ex parte & c. Nuper cit.* ac proinde ei Monasterium non potuerit renuntiare, *arg. c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Altera; quod *c. Accedentibus cit.* etiam mentio fiat renuntiationis, & quadragenarii temporis lapsus, istiusque probatio exigatur.

Verum difficultates hæ tantæ non sunt; ut ab allata *cc. cit.* expositione conciliationeque persuadeant recessum, Prior; quia, cum privilegium immunitatis à solvendis decimis immediatè ipsis Monasteriis & quoad aliquas tantum possessiones competeret, singula Monasteria ipsis renuntiare potuerunt per ipsi textum & *Reg. c. Si de terra cit.* Posterior; quia, licet renuntiationis mentio etiam fiat *c. Accedentibus cit.* id factum per accidens est; quod etiam hæc sufficeret: principaliter autem decisio innititur præscriptioni; cum adversus Templarios, immunitatem à solvendis decimis prætendentes, allegata fuerit pacifica possessio decimarum quadraginta annis continuata, quæ præscriptio adversus Ecclesias & Monasteria perficitur ac probatur, *cit. Pirrhing n. 117. in fine.*

55. Septimò Abusu: quò privilegium amitti, Regulæ instar tradi & desumi solet *ex can. libi ista 7. dist. 7. q. can. Privilegium 11. q. 3. c. Tuorum 11. V. Verum & c. Ille privilegia 24. pr. hæc Rubr. & c.* quorum textuum quotidianò usu recepta Regula est, *Privilegium meretur amittere, qui concessã sibi abutitur facultate: cujus sensus ac vis ut meliùs intelligatur,*

Observandum est, Abulum contingere tribus modis. Primò per excessum, id contra intentionem concedentis ultra concessæ facultatis limites extendendò, eoque aliò tempore vel locò aut circa aliam personam vel materiam non concessam utendò. Secundò, ex eo sumendò

ansam delinquendi: sicut contingeret, si exemptus liberius delinqueret, aut alteri injuriam inferret spe impunitatis vel difficilioris conventionis ex privilegio conceptæ. Tertiò, contra ejus indulti finem agendò: sicut ageret canonicus vel alius clericus beneficiatus, obtinens privilegium non residendi in sua Ecclesia ad prosequendum studium literarum, si, hoc insuper habitò, tempus tereret otio, vel inutilibus & à privilegii fine alienis exercitiis absumeret.

Sicut autem relatæ Regulæ in quocunque hujusmodi abusu locum esse, DD. 56. sententia concors, sic dubium est, an privilegium semper amittatur ipso Jure & facto, vel abutens eò per sententiam veniat privandus: & licet ad actuale amissionem judicis sententiam exigi, non obscurè insinuetur *cc. cit.* dum concessã sibi facultate abutentes *Id amittere mereri*, sive ut amittant, dignos esse, asserunt: aliquando tamen privilegium ipso Jure & actualis abusus facto amitti, patet *ex c. Gratium 2. de Posul. Pralat. c. Ex parte 9. de Cleric. conjug. & c. Unico eadem Rubr. in 6.* Unde, ut amissionis modus cognoscatur, præ oculis habendus est modus abusus; cum, si iste primò modò fiat, acta quidem per excessum propter defectum potestatis in agente, sive privilegio abutente, ferè irrita sint, ipsius tamen privilegii omnimoda amissio tali & secundo abusus modo ab ipso Jure inducta non censetur: nisi ejus indulti tenore, id *Ipsò factò, Eò ipso, Illico amitti*, vel invalidum reddi, exprimitur: 57. vel indultum sit, donec eo quis abutatur; si enim indultum, ut privilegio *Privetur*, id *Auferatur*, vel *Mereatur amittere*, aut aliis ejus significationis verbis uteretur, per sententiam judicis infligendam privationem denotaret. Si verò abusus pugnet cum ipso privilegii fine, & hunc

& hanc omnino tollat, ipso Jure corruet, nec proderit privilegiato. Unde in allato hujusmodi abusibus exemplo canonicus vi privilegii non residendi, ad studiorum prosecutionem indulti, ab Ecclesia absens beneficii fructus non percipiet, si omnino negligat studium literarum, Suarez *cit. cap. 36. n. 7.* & Palao *cit. disp. 4. p. 20. à n. 3.* qui tamen pro praxi recte monent, iis etiam casibus, quibus privilegii amissio in delicti poenam à Jure inducta est & ipsò factò incurritur, ad actualem ejus amissionem ordinariè sententiam criminis declaratoriam requiri, *arg. c. fm. de Vita & honest. c. Contingit 45. de Sent. excom. & c. Cum secundum 19. de Hæret. in 6.*

§8. Octavo, privilegium amittitur Revocatione concedentis. Quod sicut certum, sic minimè perpetuum est; ut locus, imò opus sit aliquà inter privilegiatos, & ipsa privilegia distinctione; nam primò privilegium, à Principe circa rem suæ dispositioni obnoxiam, & statui publico notabiliter non præjudicantem concessum alicui non subdito, & ab isto acceptatum, ut permulta, quæ ab Imp. Ecclesiæ indulta sunt, revocari non potest, Panormit. *in c. Novit. 13. de Judic. n. 23. ubi Felinus à n. 8. Decius n. 4. cit. Suarez cap. 37. n. 2. & Pontius cap. 19. n. 12.* Ratio est; quia tale privilegium à non subdito acceptatū, transit in pactum seu conventionem, quæ privilegiato acquiritur jus: quod legitime acquisitum ipsi auferri non potest. Secundò privilegium, ad agendum aliquid contra vel præter Jus commune subdito gratiosè concessum, à concedente ex justa causa licitè; sine ista saltem validè revocari valet, Felin. *cit. n. 8. Sylvester V. Privilegium, n. 10. d. 7. cit. Suarez n. 10. & Laiman. cap. 23. n. 25.* Ratio est; quia tale privilegium non transit in dominium

subditi, eoque agendi jus pendet à voluntate concedentis. Tertio, privilegium per pactum, vel contractum onerosum, *vg. pro pretio vel sub alicujus operis exhibendi, aut etiam in remunerationem seu compensationem meritorum, etiam subdito concessum, revocari à concedente sine gravi, & publicum bonum concernente causa, non potest, cit. Felin. n. 12. Suarez n. 7. Laiman. n. 25. & Pontius n. 13.* Ratio de concessio per pactum est; quia Princeps servare tenetur pacta & conventiones cum subditis inuitas, & his quæstum illis jus sine causa publica auferre non potest. De remuneratione; quia, quòd datur in remunerationem meritorū & obsequiorum, debitū & non gratis datum censetur, & affine est dato ex conventionem. Quarto, eodem fere modò iidem DD. revocari posse negant privilegium à subdito obtentum per Principis donationem absolutam cum translatione domini sui juris: ut, quò ei conceditur castrum, jus vectigalis, vel tributū exigendi; quia per ejus donationis acceptationem subdito acquiritur dominium seu jus: quod ipsi invito sine causa publica nequit auferri. Quintò, iisdem casibus, quibus à concedente, revocari privilegia possunt ab ejus successore & superiore; quia successor parem & moraliter eandem potestatem habet, quam habuit antecessor: & ab hoc ei non potuit præjudicari; cum par in parem non habeat imperium, *c. Innotuit 20. V. Quamvis, de Elect. & l. Nam Magistratus 4. ff. de Arbitrar. superior autem cum potestatem habeat altiore, & inferiori prævalentem, istius legem tollere ex justa causa licitè, & sine tali causa saltem validè potest, cit. Suarez cap. 37. n. 17. Laiman. n. 25. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 88. ad finem.*

## ARTICULUS V.

## De Privilegio Exemptionis.

## SUMMARIUM.

62. Exemptionis definitio.
63. Eius divisio in Personalem, Realem & Mixtam.
64. Iudices exemptorum sunt proprius eorum Prælatus.
65. Papa, ipsiusque à latere Legatus.
66. Regulares ab Episcopi Diocesana communi:
67. A Jurisdictionali ejus Lege speciali Jure eximuntur:
68. Scilicet Privilegiò Apostolicò,
69. Concessione Episcopali,
70. Sententiæ pro ipsis lata transitu in rem judicatam,
71. Vel quadragenariâ cum titulo, aut immemoriali prescriptione.
72. Exempti à Ecclesiâ vel Monasteriò, e jus etiam Clerici vel Religiosi:
73. Non hoc ipsò etiam populus,
74. Capella unita, & istarum presbyteri sunt exempti.
75. Exemptus ratione solius loci quoad delicta in:
76. Non etiam quoad extra eum commissa est exemptus.
77. Exemptio, que non est notoria, probanda est,
78. Exhibitò privilegii Apostolici tenore,
79. Aliâve scripturâ authenticâ probatâ,
80. Vel probatâ possessione, requisitâ ad prescriptionem.
81. Lite super ea pendente, potior est conditio possessoris.

82. Iudex causa Exemptionis non est Episcopus:
83. Sed solus Papa.
84. Exemptionis privilegio renuntiare nemo potest.

**E**xemptio est Liberatio à jurisdictione Ordinarii, sive Privilegium, quò persona vel locus ab Episcopi vel alterius superioris, Ordinariam jurisdictionem habentis, potestate subtrahitur, & immediatè subjicitur Papæ, Cochier de Jurisdic. Ord. in Exempt. p. 5 q. 1. an. 3.

Est ea triplex, Personalis, quæ competit personæ, eamque sequitur, quocunque veniat; ut ejus quasi ossibus adherere censetur ac dicatur, Reg. Privilegium 7. de R. J. in 6. Francus in c. 1. §. In eos, in 6. n. 2. Localis, quæ locus v.g. Ecclesia, Capella, Monasterium vel territorium ab Ordinarii jurisdictione liberatur, c. Cum capella 16. ut, licet in ejus diocesi vel territorio existat, de ejus tamen diocesi vel territorio non esse dicatur, & loco extra ea sito æquiparetur, Glossa in Clemens. 1. V. Primò annò, de Excess. Prælat. & Barbosa in c. Cum Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6. n. 8. Mixta ex Personali & Locali est, quæ personæ & loca, eorumque res ab Ordinarii potestate eximuntur, Donatus Tom. 1. Prax. Regul. p. 2. tract. 13. q. 1. n. 4. ut Episcopi aliisque Ordinarii neque in locum, neque in eus Prælatum vel Clericos aut Religiosos jurisdictionem suam, visitando, ad Synodum vocando, citando ad judicium, censuras Ecclesiasticas aliâsque sententias ac poenas ferendo, valeant exercere: & sicut in loco extra diocesim sito, sic etiam in illo pro exercenda jurisdictione contentiosa in alios tribunal constituere sine proprii Prælati licentiâ non possint, c. Cum Episcopus cit. nisi à propria sua diocesi & huic sub-

huic subiectis locis impiorum proterviâ violententer essent expulsi, *Clement. Unica, de Foro compet. ubi Barbofa n. 1. & 2.*

64. Conveniendi itaque Clerici & Religiosi exempti ratione delictorum &c. sunt apud proprium suam Ecclesiam, Monasterii, Collegii vel Ordinis Prælaturam, sive Abbatem, Præpositum, Priorem Conventualem, vel alium ejusmodi superiorem, localem, provincialem aut generalem, qui in eos obtinent jurisdictionem quasi-Episcopalem; ut in eos omnia, quæ in subditos suos diocesanos Episcopi, possunt, *Glossa in Clement. 1. V. Proprii, de Reb. Eccles. alien. Cochier. p. 1. cit. q. 17. n. 25. & Barbofa de Offic.*

65. *Episc. alleg. 105. n. 3.* vel apud Papam aut ejus à latere Legatum, cui jurisdictionem in personas & loca exempta competere, patet ex *c. 1. de V. S. in 6. & c. Si Abbatem 36. de Elect. in 6.* Unde Papa, eximendô aliquem à jurisdictione cujuscunque Ordinarii, eum à potestate hujusmodi Legati eximere, non censetur, *cit. Cochier p. 2. q. 2. n. 7. & Barbofa in c. Quod translationem 4. de Offic. Legati n. 10.* Cæteri verò Legati Nati & Missi, quos Nuntios Apostolicos vocamus, in causis exemptorum se intromittere non possunt: nisi, ut aliquando Legati cum potestate Legati à latere Missi, muniti sint mandato seu commissione speciali; *Glossa in c. Si Abbatem cit. V. Commissum & Donatus Tract. cit. q. 9. n. 2. Unde*

66. Dubium oritur primò de Jure, quò exemptio est introducta. Et humanò quidem introductam, satis est exploratum. An autem communi, controversia quædam est. Quam meò judicîo planam reddet celebris distinctio inter duas Episcopi Leges, Diocesanam & Jurisdictionalem; quarum priori Religiosos eorumque Monasteria & Conventus ex Ju-

ris communis dispositione non affici, patet ex *can. Inter cetera 8. V. Ne ergo, 10. q. 3. can. Cum pro utilitate 34. V. La verò, 16. q. 1. §. Canonica post can. fin. 10. q. 2.*

A Lege autem Jurisdictionis exemptio eis competere capit Jure speciali: imprimis quidem, ac præcipuè privilegii summorum Pontificum, plurimorum Ordinum Monasteria & Religiosos, imò Religiones integras Episcoporum jurisdictioni subtrahentium, & immediatè subjiectium Apostolica: cujusmodi privilegia non pauca cum tempore inserta sunt Corpori Juris communis, *c. Nimis 15. & 16. Clement. 1. de Excess. Pralat. Clement. 2. de Consibus Ec.*

Concessa autem aliquibus sunt ad instantiam Principum & Magnatum, Ecclesias & Monasteria extruentium ac dotantium eâ lege; ut ab Ordinariis essent exempta, *Lomedeus de Exempt. Ecclesiast. cap. 4. à n. 1.* aliis ex mera indulgentia & benignitate summorum Pontificum, ita amplificantium auctoritatem sedis Apostolicæ, cujus interest, multos habere sibi proximè subiectos, *Clement. Pastoralis 2. de Re judicata, & consulentium quieti seu tranquillitati Religionum & Monasteriorum, variis gravaminibus sæpe oppressorum, Tamburin. Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 15. q. 3. n. 5. & Donatus Tract. cit. q. 3. n. 4.* Aliam exemptionis introductæ causam reddidit Petrus Blesensis *Lib. 3. Epist. 28.* quòd, cum Episcopi non, ut olim, ex monachis aut canonicis disciplina Regulari diu exultis: sed ferè ex seculari clero assumantur, ad Regularem observantiam debitò modò promovendam minùs idonei cum tempore caperint esse; atque idcirco Regularium Congregationes, Monasteria & persona eorum jurisdictioni fuerint subtrahæ.

Deinde acquiri exemptio potest concessione

cessione ipsorum Episcoporum, saltem in limine fundationis Ecclesie vel Monasterii, Imola in c. *Cum inter 5. de Consuetud. n. 7.* Felin. in c. *Cum inter 13. de Sent. & re jud. n. 4.* & Cochier cit. q. 3. n. 5. Ratio est; quia Episcopus Ecclesie suae obeisse potest non acquirendo, sive jus ei nondum quaesitum, sed primum quaerendum ac futurum omittendo, eoque cedendo, Glossa in § *Si ergo, post can. fin. V. Meliorem, 6. q. 1. & c. Fraternitatem 2. V. Non debet, de Donat.* in limine autem fundationis superioritas & iurisdictio in Ecclesiam vel Monasterium nondum plene acquisita, sed primum quaerenda est ac futura: quam omittendo alienare non censetur, l. *Alienationis 28. pr. V. Qui occasione ff. de V. S.*

An etiam postea, controversia quaedam est inter Glossam in *Summam 25. q. 2.* & Calderinum *Consil. 5. de Reb. Eccles. non alien.* Affirmativam: & Glossam in c. *Constitutus 6. V. A quocunque, de Relig. domib.* Panormit. in c. *Cum olim 14. hac Rubr. n. 4.* & cit. Cochier n. 2. Negativam tuentes. Quorum pugnantibus sententias in concordiam reducens Barbofa de *Offic. Episc. alleg. 89. n. 5.* Ecclesie & Monasterio jam subiecto exemptionem indulgeri, aut Ecclesie vel Monasterio per unionem incorporari posse, quidem concedit: at non, nisi exigente vel suadente iusta causa & accedente Capituli consensu, secundum Regulam *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. Pastoralia 7. de Donat. c. 1. de Reb. Eccles. alien. in 6. & c.* & sic etiam non ita plene, ut jure etiam Reverentiae Episcopo, non solum ratione dignitatis, sed etiam ratione iurisdictiois exhibendae non obligentur: licet privilegio Apostolico exempti ad reverentiam, ei ratione solius dignitatis Episcopalis deferendam, teneantur, cit. Cochier p. 4. q. 34. n. 3. Tambu-

rin. q. 7. n. 45. id à Rota 29. Decemb. 1627. decisum asserens, & cit. Barbofa *Alleg. 105. n. 75.*

Multo facilius, quam cessione vel concessione expressa Ecclesie vel Monasterium à iurisdictione Ordinarii eximi potest tacite, à sententia pro ejus exemptione lata non appellandò, c. *Cum inter 13. de Sent. & re judic.* quia sententia lata contra jus litigatoris, si ab ea intra decendum non appelletur, transit in rem iudicatam; ut inter partes faciat jus, & pro veritate habeatur, c. cit. l. *Ingenuum 25. ff. de Statu homin. & l. Res iudicata 207. ff. de de R. I.* Panormit. ac Felinus in c. cit. n. 4. cit. Cochier p. 1. q. 3 n. 8. & Barbofa cit. *Alleg. 89. n. 3.*

Demum ab Ordinarii dioecessani iurisdictioe eximi Ecclesia vel Monasterium potest praescriptione, c. *Cum olim 14. V. Quia verò, c. Cum persone 3. hac Rubr. in 6. c. Auditis 15. & c. Cum olim 17. de Praescript.* cum, qui ulucapi patitur, alienare non videatur, l. *Alienationis cit. Balbus de Praescript. p. 5. pr. p. 1. q. 12. n. 1. cit. Cochier q. 3. n. 7. & Barbofa n. 7.*

Neque hanc praescriptionem excludit decisio c. *Cum non liceat 12. de Praescript.* praescriptioni contra obedientiam aperte resistens; quia non resistit, neque excludit eam, vi cujus obedientia uni Praelato debita in alterum transferatur: sed eam duntaxat, vi cujus debitum sive obligatio obedientiae omnino extinguatur; ut Ecclesia vel Monasterium Praelato, cujus iurisdictioi subiectum est, obedire non teneatur, aut nemini sublit, contra *can. Nulla 8. dist. 93. & can. Abbatibus 18. q. 2. cit. Balbus n. 2. Cochier q. 6. n. 14. & Barbofa in c. cit. n. 3. in fine.*

Dubium secundò est, an, exempta Ecclesia vel Monasterio, exempti etiam sint ejus

sint ejus Clerici & Religiosi. Ratio dubitandi pro una parte est; quòd de connexis, ut sunt Ecclesia, vel Monasterium ejusque Clerici vel Religiosi, idem sit iudicium, *c. Translatò 3. de Constitut. & l. Quid ergo 3. §. 8. ff. de Contrar. act. tutel.* Pro altera verò; quòd exemptio odiosa, atque idcirco strictè sit interpretationis, *Reg. Odia 15. in 6. cum præjudicet potestati Ordinariæ, quæ favorabilis est, can. Pervenit, 11. q. 1. & deroget Juri communi, quòd Episcopus super omnium suæ diocesis locorum & personarum Ecclesiasticarum subjectione fundatam intentionem ac præsumptionem habet, can. Regenda 4. Sc. 10. q. 1. can. Omnes Basilica, 16. q. 7. can. Monasteria, 18. q. 2. c. Cum contingat 13. de Foro compet. c. Constitutus 6. Sc. Cum venerabilis 7. de Relig. domib. eaque causa sit, ob quam, Ecclesiã vel Monasterio exemptò, non hoc ipso exempta sint ei subjecta capellæ, *c. Ex ore 17. ubi Glossa V. Quæ non probantur & Gonzalez n. 3. & exemptis clericis sive canonicis, aut etiam populo, non hoc ipso etiam Ecclesiã sit exempta, Francus in c. Per exemptionem 9. in 6. n. 3.**

Sed, licet hæc ita sint, Ecclesiã tamen vel Monasterio exempto, non solum eorum ædificium cum cœmeteriis, atriis, hortisque & aliis eò inclusis vel annexis, Glossa in c. 1. V. Exempto, in 6. sed Prælaturam quoque cum canonicis aliisque ejus ministris & Abbatem cum Religiosis & conversis ejusque oblati exemptos, à Bonifacio VIII. decisum *c. Per exemptionem cit. & ratio solida est; quia appellatione Ecclesiæ vel Monasterii veniunt etiam canonici monachi & alii ejus ministri, seu personæ ad cultum Divinum deputatæ, & omnium maximè Abbas seu Prælatus, can. Sine, 7. q. 1. Sc. Relatum 12. de Testament. Franc. in c.*

*cit. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 46.*

Non tamen hoc ipso exemptus est etiam populus, sive parochiani; quia Ecclesiæ minùs annexi sunt, quàm clerici ejus ministri. Neque etiam presbyteri ejusmodi parochianorum (non exemptorum) curam gerentes, saltem quoad ea, quæ ad ipsorum curam spectant, *c. cit. ubi Franc. n. 3. V. Quintò, Barbosa n. 4. & Fagnanus in c. Cum capella 16. n. 6.* Neque etiam, si in exemptionis privilegio non exprimantur, hoc ipso exempta sunt capellæ, Ecclesiis vel Monasteriis exemptis subjectæ, *c. Ex ore cit.* quia cum his non necessariò connexæ, & exemptionis privilegium extendendum non est. Unde ejusmodi Ecclesiarum & Monasteriorum exemptorum Prælati ratione talium capellarum aut parochiarum ad vocationem Episcopi per se vel alios, per quos illarum curam gerunt, comparere tenentur in Synodo diocæsana: & capellæ ac parochiæ ipsæ ab Episcopo visitari possunt, ut in *c. cit.* notant Panormit. *n. 1. & Barbosa n. 5.*

Neque contra dubitationis resolutionem facit; quòd, exemptis canonicis aut clericis, non hoc ipso exempta etiam censeatur Ecclesiã; quia dispositio relata ad rem contentam non includit continentem, Franc. in *c. Per exemptionem cit. n. 3. Tiraquell. de Retract. Consang. §. 1. gloss. 4. n. 97. & Cochier q. 13. cit. n. 6.* Simili modo, licet exemptis Ecclesiæ clericis, ejus etiam Canonici; ne minores majoribus favoribus gaudeant, quàm majores: non tamen, exemptis canonicis, eximuntur cæteri clerici, qui canonici non sunt, *c. Per exemptionem cit.* quia generaliter appellatione clericorum comprehenduntur canonici in materia ipsis favorabili, Laiman. in *c. Bone 3. de Postulati. n. 1. & ibi Fagnan. n. 7.*

Dubium

75. Dubium tertium est; an ratione Ecclesie exempti clerici exemptione gaudeant extra illam. Non quidem ratione delictorum in ea commissorum & consummatorum; quia quoad hæc eos, tanquam exemptos, ab Ordinario corrigi & puniri non posse, in *c. Cum capella 16. ex communi DD. sensu notant Hostiensis V. Pa-rochianis, & V. Per alios, & Panormit n. 6.*

Sed, quando delinquant extra illam, quem casum spectans dubium resolvendum est factò discrimine inter clericos ratione solius Ecclesie & ratione suæ etiam personæ exemptos; quantumvis enim posteriores hi extra Ecclesiam exemptam delinquentes coram Ordinario conveniri, ab eoque corrigi ac puniri nequeant, *c. 1. §. In eos, in 6. nisi in administratione beneficii non exempti, vel officio & functione publicâ delinquant, Barbosa in Clement.*

76. 1. *de Statu monach. n. 10.* priores tamen, si extra ejusmodi Ecclesiam delinquant, aut delictum in ea inchoatum consumment, perinde ut alios clericos non exemptos puniri ab Ordinario posse, teste Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 123. n. 5.* ab omnibus receptum & ratio solennis est; quod limitata causa limitatum producat effectum, *l. In agris 16. ff. de Acquir. domin.* Idem satis proditum est *c. Cum capella cit.* ex cujus dispositione Episcopus in exemptæ capellæ Regiæ canonicos ratione parochiarum, non exemptarum, quas regunt, procedere liberè potest. Neque id immeritò, inquit Gonzalez *in c. cit. n. 4.* cum, ut dictum, etiam Religiosus quoad personam exemptus, promotus ad beneficium parochiale, ratione istius Episcopo subijciatur: nisi etiam parochia exempta & plenissimò jure subiecta esset Prælato Regulari, habenti territorium cum populo exemptum, in quo exerceret jurisdictionem quasi Episcopalem; ut aliquando Abbates Mona-

steriorum, quæ nullius diocesis esse dicuntur, Engel *ad banc Rubr. n. 23.*

Dubium quartò est de exemptionis probatione. Ad quam, si exemptionis, ut *vg. Mendicantium*, privilegium Juris communis corpore clausum, aut aliàs notorium sit, allegantem adstringi, ex communi DD. sensu negant Panormit. *in c. Cum ordinem 6. de Rescript. n. 6. & Lai-man in c. cit. n. 8.* imò ad exemptionis privilegium exhibendum, aut eam aliâ ratione probandam vocatos, etiam comparere non teneri, non obicure desumitur ex *c. Cum Ordinem cit. in fine* & iidem advertunt; quod exceptione Fori declinatoriâ tuti notoriè sint: si verò exemptio notoria non sit, ejus tenorem coram prudentibus & non suspectis viris, ab Ordinario deputandis, exhiberi voluit Bonifacius VIII. *c. Cum persona 7. in 6.* idque exhibendum evincit ratio, cum; quia exemptio est quid facti: quod cum regulariter non præsumatur, *l. In bello 12. §. 2. ff. de Captiv. & Postlim.* probandum est ab allegante, *arg. c. Cum in jure 31 de Offic. deleg.* tum verò; quia Ordinarii diocelani super personarum locorumque & rerum Ecclesiasticarum subiectione intentionem & præsumptionem fundatam habent in Jure communi; atque idcirco probandi onus rejiciunt in adversarium, *arg. c. Ad decimas 2. de Restit. spoliat. in 6. & l. Cum de indebito 25. ff. de Probat. Pacianus Lib. 1. de Probat. cap. 8. n. 1. Cochier p. 1. cit. q. 8. à n. 1. & Donatus Traç. cit. q. 11. n. 1.*

78. Probanda autem est exemptio, si in privilegio Apostolico fundetur, exhibitò istius instrumentò, *c. Cum persona cit.* quò Ecclesie, Monasterii, capellæ &c. exemptio legitime probata videbitur non solùm, si eò ab Ordinarii potestate exempta expressè asseratur, *c. Si Papa 10. in 6.* sed etiam, si Ecclesiam *vg.* esse liberam, plenâ liberta-

libertate, aut libertate Romana Ecclesie vel ejus prerogativa speciali gaudere, *c. cit. V. Et est idem. c. Cum olim 14. V. Quia vero*: si eam juris B. Petri existere, ad proprietatem Ecclesie Romanae, vel ad sedem Apostolicam, aut Romanam Ecclesiam specialiter, vel nullò mediante, aut etiam simpliciter pertinere exprimitur, *c. Si Papa 10. V. Si autem, c. Cum olim 12. V. Nos vero*: si caveatur; ne Episcopus ibi cathedram suam collocare, vel quamlibet potestatem exercere, aut ordinationem aliquam, quamvis levissimam, facere audeat, *V. Et est idem. cit. can. Luminoso 18. q. 2.* si aliquos recipiat in proprios vel speciales subditos Ecclesie Romanae, *c. Si Papa cit. V. Similiter* aut aliis hujus sensus verbis & loquendi formis utatur. Cujusmodi significationis verba obiter accipienti esse videri possunt, quibus aliqui à Papa recipentur in filios etiam proprios ac speciales: aut ab Ecclesia vel Monasterio censum annuum Ecclesie Romanae solvi assereretur. Sed revera his loquendi formis exemptionem non probari, *c. cit. V. Non sic* est decisum: nisi censum in signum subjectionis aut perceptæ libertatis solvi appareat ex contextu, *Cochier p. 1. cit. q. 9. & 10. totis, & Barbosa cit. alleg. 727. n. 20.* hujusmodi phrasium vim latè & accuratè expedientes.

79. Si exemptio fundetur in concessione Episcopali vel sententiâ judiciali, quæ in rem judicatam transit, præ aliis expedita probatio est, quæ desumitur ex literis fundationis, vel postea factæ legitimæ concessionis Episcopalis, aut ex Actis vel scripturâ authenticâ, continente sententiam latam pro exemptione, aut, his deficientibus, ex testium depositionibus, famâ, præsumptionibus.

80. Denum, si ea fundetur in præscriptione, probanda est per exemptionis quadraginta annis cum titulo, v.g. privile-

gio vel concessione Episcopi invalidâ, *c. Cum persona cit. V. Quod si tales*, vel tantò tempore, cujus initii memoria non extat, continuatam, & nunquam interruptam quasi possessionem, *arg. c. 1. de Prescript. in 6.* quia Ordinarii dioecesani subjectionem prætendentis intentio fundata est Jure communi, *c. Cum persona cit. in fine, Ecclesias, Monasteria, cæteraque Sacra & Religiosa loca & personas Ecclesiasticas omnes ipsi subjiciente, & resistente præscribenti, can. Omnes, can. Monasteria c. Cum contingat c. Constitutus cit. Balbus cit. q. 12. n. 4. Cochier p. cit. q. 8. n. 8. & Barbosa in c. Cum persona cit. n. 6.*

Dubium est quidò, an, lite super exemptione motâ & pendente, jurisdictione suâ uti Ordinarius valeat contra partem, eâ se tuentem. Quod resolvendum est beneficii distinctionis, Et quidè, si exemptio fundetur in privilegio, melior est conditio possidentis: sive Ordinarii, qui, si in jurisdictionis quasi possessione sit, lite super valore pendente, istius exercitium in personam vel locû, illò se tuentem, continuare, & possessionem stabilire procul dubiò potest: sive partis ad exemptionem provocantis; quia ista quoque, lite pendente, privanda non est commodò possessionis, *Panormit. in c. 1. Ut lite pendente, n. 4. & Barbosa in c. Cum persona cit. n. 17. & Tamburinus cit. disp. 15. q. 8. n. 6.* Quod si neutra pars sit in quasi possessione, jurisdictione sua uti Ordinarius potest, propter assistentiam Juris communis, ipsi faventis, *c. Cum persona, Tamburinus. q. cit. n. 2.* Si autem exemptionem allegans solius præscriptionis obtentu se tueatur, idem Ordinarius jurisdictione uti ob eandem Juris assistentiam potest: donec præscriptio legitimè fuerit probata. Ratio discriminis est; quòd privilegium magis favorabile sit, quàm præscriptio, & hæc magis odiosa censeatur, *Glossa fin. in c. Cum per-*

*Cum persona cit.* Sylvester *V. cit. n. 7.* & Cochier *p. 2. q. 29. infra.*

82. Dubium sextò est de iudice litis, motæ super exemptione. Ratio dubitandi est; quòd in ea quæstio sit, an Episcopo competat iurisdicção: iudicis autem sit cognoscere & decernere, an sua sit iurisdicção. *l. Ex quacunque 2. ff. Si quis in ius vocatus &c.* & exempti requisiti privilegium suum, cum id Juris communis Corpore clausum & notorium non est, Ordinario exhibere, & de articulis, de quibus controversia est, transumptum tradere teneantur, *c. Cum persona cit. V. Nos volentes.*

83. Sed, licet vigore *l. cit.* de sua iurisdicção pronuntiare regulariter iudicis sit, litis tamen super exemptione motæ, & inter Episcopum diocesanaum & Prælatum inferiorem agitatæ iudicalem cognitionem, definitionemque, non ad illa, sed ad Romanum Pontificem pertinere, cum Panormit. *in c. Venerabili 14. de Censibus n. 4.* Felino *in c. Super literis 20. de Rescriptis n. 24.* & aliis defendunt *cit.* & Cochier *p. 2. q. 12. Tamburin. q. 10. n. 2.* Donatus *q. 14. d. n. 1.* pro quibus facit imprimis textus *c. Cum venissent 12. de Iudiciis* quia legem & privilegium authenticè & judicialiter interpretari ejus est, cujus est, illam condere, & hoc concedere, *c. Inter 31. V. Ut igitur, de Sent. excom. l. fin. § 1. C. de LL. Glossa in c. Cum venissent cit. V. Judicari.* Quæ causa est, cur privilegiorum, FF. Prædicatorum & Minorum Ordinibus & Societati JESU à sede Apostolica indultorum, interpretationem Prælati inferioribus inhibitam reservârint, aut verius reservatam, specialibus Constitutionibus declarârint Clemens VIII. Nonis Julii 1268. & Paulus III. 5. Calend. Novemb. 1549. Deinde ratio partim; quòd in ejusmodi quæstione agatur de toto fundamento iurisdicçãois, de

ipfius proprietate, spectante honorem & commodum Ordinarii; ac proinde de causa ipsius propriâ: de qua judicialiter cognoscere ac pronuntiare summo Principe inferior iudex non potest, *l. Qui jurisdictioni 10. ff. de Jurisdic. l. Unica C. Ne quis in sua causa &c. can. Inter 23. junctâ Glossâ V. Propria, 23. q. 4.* partim verò; quòd exemptio potius ipsius Papæ & Ecclesiæ Romanæ, quàm ipsorum exemptorum jus sit, *c. Cum venissent 2. §. fin. de In integ. restit. & c. Cum olim 14. V. Nos igitur hic;* atque idcirco super ea cum Episcopo ortæ controversiæ iudicem competentem potius Papam, quàm eò, tanquam summò Principe, inferiorem ac subditû Episcopum, oporteat esse.

Neque aliud persuadet pro Episcopo adductus textus *V. Nos volentes cit.* quia ex istius dispositione exemptionis privilegium Ordinario exhibendum est, non; ut de illo judicialiter cognoscat ac pronuntiet: sed; ut extrajudicialiter ex eo se informet, ut cum *cit. Panormit. & Felino notat Donatus q. cit. n. 5.*

Dubium septimò est, an exemptioni 84. valeat renuntiari. Qua in re distinguit Angelus *in §. Idem Juris 2. Infit. de Exce. n. 42.* & licet exemptioni totius Ordinis Religiosi renuntiari à particulari persona posse, neget: propriæ tamen personæ concessæ cedi posse, facillè concedit, eâ ductus ratione; quod favori suo renuntiare cuilibet sit permiffum, *c. Si de terra 6. hâc Rubr. c. Ad Apostolicam 16. de Regular. §. Si quis § 1. C. de Episc. & cleric.*

Sed melius exemptioni, etiam pro sua persona obtentæ, renuntiari posse, cum Panormit. *in c. Cum tempore 5. de Arbitr. n. 2. & 7. Sylvestro V. Exemptio, n. 11.* & aliis generaliter negant *cit. Cochier p. 3. q. 34. Barbofa de Offic. Episc. alleg. 105. n. 76. & Donatus Tract. cit. q. 14. n. 1.* pro quibus apertè faciunt *c. Cum tempore cit.*

Verba,

Verba, *Cum, etsi sponte volueris, de Jure nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegiis vel indulgentiis libertatis.* Cui consonant *c. Cum venissent 2. §. fin. de In integ. restit. & c. Cum olim 14. P. Nos igitur, hęc Rubr.* quibus ab Innocentio III. Exemptio *Non tam jus suum hoc est, exemptorum quàm nostrum,* hoc est Papæ, & *Ecclesia Romana* jus nuncupatur. Ratio est; quia exemptionis privilegium introductum est favore non tam ipsorum exemptorum, quàm sedis Apostolicæ ac Papæ, cujus interest, subditos suos ab aliis non judicari, præsertim ab Episcopo alieno: cujus propterea jurisdictionem in se prorogandi facultas clericis diocesanis sine Episcopi sui consensu adempta est, *c. Significasti 18. de Foro compet.* Unde ab Angelo pro renuntiatione allata ratio tota evanescit.

#### ARTICULUS VI.

### De Casibus, quibus Exempti Episcopis sub- jiciuntur.

#### SUMMARIUM.

85. *Hic subjiuntur in iis, quæ sunt Ordinibus Episcopalis;*
86. *In observatione Festorum,*
87. *Censurarum promulgatione,*
88. *Et librorum imprimendorum approbatione;*
89. *Quoad publicas Processiones,*
90. *Solennes benedictiones usumque Pontificalium,*
91. *Et approbationem pro excipiendis Confessionibus,*
92. *In novorum Monasteriorum & conventuum erectione,*
93. *Indulgentiarum promulgatione,*

94. *Et Prædicatione Verbi Divini extra proprias Ecclesias;*
95. *Quoad renuntiationem bonorum, faciendam à Novitiis.*
96. *Et ultimarum voluntatum executiones;*
97. *Quoad lectionem S. Scripturæ in Monasteriis,*
98. *Clausuram Monialium,*
99. *Abbatissarum electiones,*
100. *Et conventuum non habentes debitum numerum personarum;*
101. *In causis Hæreseos,*
102. *Et aliquando in delictis extra Monasteria commissis;*
103. *In causis mercedum & miserabilium personarum.*
104. *Cum elemosynas illiberales exigunt,*
105. *Verbi Divini Prædicationem negligunt,*
106. *Vel publicè prædicant contra B. V. Immaculatam Conceptionem.*

**Q**uantumvis Exempti, ab Episcopo 85. pali liberati, & Apostolicæ jurisdictioni immediatè subiecti sint, non defunt tamen: imò satis multi sunt casus, quibus ipsi, præsertim Regulares, Episcopis, in quorum diocæsi sita Monasteria, vel ipsi existunt: & aliquando, tanquam Ordinario, aliquando verò, tanquam sedis Apostolicæ delegato, subjiuntur.

Primo quidem in omnibus, quæ sunt Ordinis Episcopalis; sicut est petitio sacri Chrismatis, consecratio Ecclesiarum, susceptio Ordinum &c. *c. Veniens 19. de Præscript. ubi Panormit. n. 2. Cochier de Jurisdic. Ord. in Exempt. p. 2. q. 45. n. 16. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 105. n. 65. nisi, vi specialis Privilegii Apostolici, à quocunque Episcopo Catholico possint*

possint ordinari, ut *Lib. 1. Tit. 12. n. 2.* est dictum.

86. Secundò, in observatione Festorum, quæ ab Episcopis in sua dioecesi indicuntur, ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 12. de Regular.* ea enim in Monasteriis & Ecclesiis suis observare, Regulares debent quoad dierum sanctificationem; ut Missam audire vel celebrare, & ab operibus servilibus abstinere teneantur: non etiam quoad Officium Divinum ac Missas: quæ, si propria habent, juxta ritum suum celebrare, non vetantur, *cit. Barbosa n. 34. Piafecius p. 2. Prax. Episc. cap. 3. n. 47. & Lauret. de Franch. Controvers. inter Episc. & Regul. p. 1. n. 2.*

87. Tertiò, in observatione Interdictorum, aliarumque censurarum Ecclesiasticarum: quas, ab Episcopis promulgatas, in suis Ecclesiis observare: & si ii præcipiant, publicare quoque debent, ex decreto ejusdem S. Synodi *cap. 12. cit.* ad quod exempti jam adstringebantur Jure antiquò, *c. Cum Splantare 3. §. Examinatos, cit. Cochier n. 55. Barbosa n. 43. & Lauret. de Franch. cit. p. 1. n. 21. ubi cum Henriquez Lib. 13. cap. 40. §. 1. Rodriguez Tom. 2. Regular. q. 112. art. 1. Miranda Tom. 2. Manual. q. 37. art. 12. & Lezana Tom. 1. Q. 2. Regul. cap. 21. n. 19. & aliis observat, stantibus hujusmodi Interdictis, Regulares Divina officia celebrare non prohiberi certis diebus ac festis propriis, quibus id ipsis per specialia privilegia est permiffum, cum; quòd S. Synodus *cap. 12. cit.* interdicta observari præceperit sine ademptione vel revocatione privilegiorum: tum verò; quòd verifimile non sit, ex mente S. Synodi strictius Ordinariorum, quàm Apostolica interdicta observanda.*

88. Quartò, in Censura librorum, non imprimendorum, nisi prius ab Ordinario examinati, approbati que fuerint, ita ita-

tuente eadem S. Synodo *Sess. 4. Decretò de Editione & usu SS. librorum*, ut supra dictum *Tit. 7. n. 10. cit.* Barbosa n. 24. & Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 5. p. 11. n. 56.*

Quintò, in vocatione ad publicas Processiones, & controversiis, de præcedentia in iis, & deductione funerum exortis, juxta ejusdem Concilii *Sess. 25. cit. cap. 13. de Regul. & tradita Lib. 1. Tit. 33. à n. 28. exceptis tamen quoad vocationem iis, qui in perpetua clausura vivunt, aut quoad Processiones specialiter sunt privilegiati, cit. Cochier n. 250. & Tamburin. n. 55. §. 81.*

Sextò, quoad solennes Benedictiones, quas facere: & quoad Divina Officia, quæ etiam in Pontificalibus celebrare Episcopi in locis suæ dioecesis exemptis possunt, ut dictum *Lib. 1. Tit. 8. à n. 13. cit. Cochier n. 34. §. 35.*

Septimò, in Approbatione ad excipiendas confessiones secularium, obtinenda ab Episcopo, ex decreto ejusdem Tridentini *Sess. 23. cap. 15. de Reformat. de qua actum Lib. 3. Tit. 7. à n. 29.* Ab eodem Episcopo excommunicari Regulares possunt, quando extra Monasteria sine licentia parochi, etiam secularibus clericis, administrant Sacramentum extremæ Unctionis, vel laicorum nuptiis benedicunt: imò tales excommunicationem ipsò factò incurrunt, *Clement. 1. pr. hâc Rubr. Barbosa alleg. cit. n. 68. & cit. Franch. q. 25. n. 1.*

Octavò, in Ereptione Monasteriorum, tam virorum quàm mulierum, Ecclesiarum vel domorum Orationis in loco non exempto, sine prævia licentia Episcopi Exemptis prohibita ab eodem Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Regular. quæ de re actum Tit. 31. à n. 24.*

Nonò, in Promulgatione Indulgentiarum, quæ sine Episcopi licentia fieri non debet, *cit. Trid. Sess. 21. cap. 11. de Ref. quòd decretò,*

Y y

decretò,

decretò, licet de Regularibus nihil statui: multòque minus eos ob Indulgentiarum publicationem, sine tali licentia factam, ab Ordinariis puniri posse, asserat *cit. de Franch. q. 6. n. 11.* sine istorum tamen auctoritate seu licentia Indulgentias publicari ab exemptis, etiam Regularibus, non posse, à S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratum, testis est Barbofa *de Offic. Pærochi cap. 16. n. 20.*

94. Decimò, quoad Prædicationem Verbi Divini in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt; in talibus enim prædicare volentibus Regularibus, ultra suorum superiorum, etiam Episcopi licentia necessaria est, ex decreto Trident. *Sess. 5. cap. 2. V. Si verò, de Ref.* ut sine ista in dictis Ecclesiis contra hujus decreti prohibitionem prædicare ullò modò præsumentes coërceri ac puniri ab Episcopis possint, vigore *Constitut. Gregorii XV.* quæ incipit *Infirmatibili 9.* Febr. 1622. publicatæ, Barbofa in Trident. *cap. 2. cit. n. 22.*

95. Undecimò, quoad Renuntiationem honorum à Novitiis (extra Societatem JESU) faciendam cum licentia Ordinarii: & quoad restitutionem omnium, quæ attulerunt, iisdem, ante professionem à Monasterio recedentibus, faciendam, ex decreto ejusdem S. Synodi *Sess. 25. cap. 16. de Regular. latè declaratò Lib. 3. Tit. 31. à num. 67.*

96. Duodecimò, quoad Executionem ultimarum voluntatum: ad cujus rationes Episcopo reddendas Religiosi etiam exempti compelli: & si in executione deliquerint, puniri ab eo possunt, *Clem. Unic. de Testament. ad quam Rubricam ea de re actum est n. 289.*

97. Decimò tertio, quoad Lectionem S. Scripturæ vel sacræ Theologiæ: quam in Monasteriis & conventibus Regularium, in quibus commodè possit, haberi præcepit S. Synodus Tridentina *Sess. 5.*

*cap. 1. V. In monasteriis, de Ref. junctâ S. Congregat. Cardd. Interpp. declaratione, allegatâ à Fagnano in c. Quia nonnullis 4. de Magistr. n. 30.* Qua in re, si Abbates & alii Prælati Regulares negligentes sint, eos S. Synodi Patres ad ejusmodi Lectionem habendam ab Episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis, oportunitis remediis compelli voluerunt, Fuscus *de Visitat. Lib. 2. cap. 15. n. 73. Piafecijs p. 2. Prax. Episc. cap. 3. n. 41. & Barbofa ad Trident. cap. 1. cit. n. 42.*

Decimòquarto, quoad Claustram sanctimonialium: quam, ut inviolata conservetur, & violata restituatur, magnò studio Episcopi debent procurare, ex decreto ejusdem *Sess. 25. cap. 5. de Regular. cit. Barbofa alleg. 105. n. 31.*

Decimoquinto, quoad Electiones Abbatisiarum: quibus cum superioribus Regularibus per se vel per alios interesse ac præsidere iidem possunt, vigore Decreti S. Congreg. Concilii & *Constitutionis Gregorii XV.* relatæ à Fagnano *in c. Grave 19. de Offic. Ordin. n. 39.*

Decimòsexto, Monasteria & loca Regularia, posthac erigenda, in quibus duodecim Religiosi sustentari & habitare non possunt, & actû non habitant, visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii subiciuntur, vi Decreti ejusdem S. Congreg. Autoritate Urbani VIII, editi 21. Junii & publicati 22. Septemb. 1623. Fagnanus *in cit. c. n. 78. Qua de re supra Tit. 31. à n. 41.*

Decimòseptimo, in causis Hæreseos & cæteris, spectantibus ad Officium S. Inquisitionis; in his enim Regulares, ubi ejusmodi S. Officium non est, Episcopis subiciuntur, *c. Ad abolendam 9. §. fin. de Hæreticis cit. Cochier n. 58. & Barbofa num. 56.*

Decimòoctavo, Religiosos, extra Monasteria vel conventualem residentiam in

am in studiorum Universitatibus degen-  
tes, visitare, corrigere & si deliquisse  
comperiantur, punire iidem possunt, ex  
decreto Trident. *Sess. 6. cap. 3. de Ref.*  
iunctâ S. Congreg. Cardd. declaratione,  
relatâ à Barbofa n. 14. & Tamburin. n. 7.

103. Decimònonò, in Causis mercedum  
sive stipendiorum operariis debitorum &  
miserabilium personarum, puta vidua-  
rum, orphanorum, senio vel diuturnò  
morbò laborantium, pauperum: super  
quibus debitores Regulares, extra Mona-  
sterium degentes, apud Episcopum loci  
Ordinarium conventi, ad solutionem  
compelli ab eo possunt, ex decreto ejus-  
dem S. Concilii *Sess. 7. cap. 14. de Ref.* etsi,  
quando intra claustra degunt, coram su-  
periore suo Regulari sint conveniendi,  
*citt. Barbofa n. 21. & Barbofa n. 8.*

104. Vigésimò, adversus eos Episcopi et-  
iam censurarum comminatione proce-  
dere possunt, quando importunas & illi-  
berales eleemosynarum exactiones faci-  
unt; ut à turpi quæstu non multùm absint:  
uti & si horis non debitis, vel in Orato-

riis privatis Missas celebrent: nisi super  
hoc privilegiò Apostolicò sint muniti,  
vigore Trident. *Sess. 22. decretò de Cele-*  
*bratione Miss. ubi Barbofa n. 2. 21. & 25.*  
Laiman. *de Jurisdic. Ordin. cap. 6. n. 116.*  
& Pirrhing *Lib. 1. Tit. 31. n. 114.*

Vigésimò primò, quando obtinen- 105  
tes parochias, non exemptas, negligentes  
sunt in populo, Verbi Divini prædicatione  
pascendo diebus Dominicis ac Festis, aut  
prædicandò disseminant scandala & erro-  
res, *citt. Sess. 5. cap. 2. de Ref. ubi aliis DD.*  
*citt. Barbofa n. 24.*

Vigésimò secundò, si in publicis con- 106  
cionibus, lectionibus & aliis quibuscun-  
que actibus publicè asserere audeant, Bea-  
tissimam Virginem in Originali peccato  
conceptam esse, ex Decreto S. Congreg.  
S. & Universalis Inquisitionis, habitæ in  
palatio Apostolico coram Paulo V. 31.  
Augusti 1617. Piores hujusmodi casus  
artigimus in hujus Operis decursu & ma-  
gnò numerò congestos dabunt DD. *citt.*  
& Fagnanus in c. *Grave cit. à n. 37.*



## TITVLVS XXXIV.

### De Purgatione Canonica.

#### SUMMARIUM.

1. *Istâ reus ostendit suam à crimine in-*  
*nocentiam,*
2. *Aut immunitatem à macula vel de-*  
*fectu:*
3. *Olim per iudicium S. Crucis.*
4. *Juramentum ad Sanctorum Reliquias*  
*vel sepulchra.*
5. *Vel S. Sacramenti Eucharistie sus-*  
*ceptionem:*
6. *Hodie per proprium & compurgato-*  
*rum juramenta peragitur,*
7. *A personis, quas bona fama esse, publi-*  
*cè interest.*
8. *Compurgatores esse debent honeste*  
*vicinæque,*

X y a

g. Et